



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Pars Quarta

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

# IN CANONES DE JURE PATRONATUS

*Desumptos ex Clementinis lib. 3. tit. 12.*

## COMMENTARIA

### PARS QUARTA.

#### CANON I.

*CLEMENS V. in Concilio Viennensi.*

**U**T Constitutio, quæ ad Ecclesiam aliquam, quamvis etiam ad exemptorum præsentationem admitti, consuetudine non obstante contraria prohibet, nisi præsentato de proventibus ejusdem Ecclesiæ, talis coram Diocesano portio fuerit assignata, unde Jura possit Episcopalia solvere, & sustentationem habere congruam, sicut expedit, observetur: ipsam declarare, ac quædam adjicere, consulta hujusmodi Sacri Concilii approbatione providimus; Diocesanis sub obtestatione Divini judicii districtiùs inhibentes; nè Præsentatum aliquem per quamcumque personam Ecclesiasticam Jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem admittant, nisi intrà certum terminum competentem per Diocesanos ipsos præsentantibus præfigendum, ipsi Præsentato fuerit coram eis (ut præscribitur) congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata. Quam si forsàn iidem præsentantes intrà terminum ipsum assignare neglexerint, nè factum eorum noceat Præsentato; Statuimus ut ex tunc Diocesani debeant præsentatum (nisi aliud Canonicum obsistat) admittere, & in pœnam præsentantium ad Diocesanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur. Præcipimus autem Diocesanis eisdem sub ipsius obtestatione Divini judicii, ipsorumque conscientias oneramus,

*Pars IV.*

D 2

quod

quod moderationem portionis ipsius debite faciant, nec odio, vel favore, vel aliàs in pluri, vel minori circa illam, scienter excedant. Sanè in Prioratum, vel aliorum tam Regularium, quàm Sæcularium locorum Ecclesiis, in quibus Religiosi, vel alii, ad quos eorum redditus pertinere noscuntur, prædicta consueverunt onera supportare; præmissa nullatenus observantur; sed onera omnia, quæ Ecclesiarum ipsarum perpetuis Presbyteris, aut Vicariis incumbere, si dicta eis assignatio facta esset, Religiosi, & alii supradicti plenè subire; ac Presbyteros, seu Vicarios ipsos decenter tractare, necnon sustentationem eis præstare sufficientem, & congruam teneantur. Ad quæ omnia integraliter adimplenda, & nihilominus ad observationem debitam assignationis per Dioecesanum casu alio (ut præmittitur) faciendæ Religiosos prædictos, & alios quoslibet à Dioecesanis eisdem Ecclesiastica volumus censura compelli. Non obstantibus exemptionibus, aut aliis quibuslibet privilegiis; consuetudinibus, vel Statutis, quæ circa præmissa, eorum aliquod Religiosis ipsis, aut aliis in nullo volumus suffragari.

## COMMENTARIUM.

**E**X hoc Canone sequens deducitur conclusio .

EPISCOPUS NON DEBET INSTITUERE , ET ADMITTERE PRÆSENTATUM A RELIGIOSIS IN RECTOREM , SEU VICARIUM PERPETUUM ECCLESIE PAROCHIALIS SUBJECTÆ MONASTERIO ; NISI PRIUS ASSIGNETUR EIDEM RECTORI CONGRUA PORTIO DE REDDITIBUS EJUSDEM ECCLESIE . Ita *Gloss.* , *Ancharan.* , *Imol.* , *Vitalin.* , *hic Lambertin.* de jurepatr. lib. 2. par. 3. quæst. 10. art. 1. , *Roch-de Curt.* eodem tract. verb. onerosum quæst. 6. , *Rot. in Toletana Decimarum de Capilla super Congrua 6. Maii 1718. S. Sententiam, coram R. P. D. Foscaro .*

Hanc eandem Conclusionem probat etiam *Textus in cap. De Monachis de præben. & dignit. ibi -- De Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum gravant, ut hospitalitatem tenere non possint, eam providentiam habeas, quod ad præsentationem Monachorum nullum recipias, nisi tantum ei de proventibus Ecclesie coram te fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere -- ibique Abb., Anan., Butr., Gonzal., Barbos. ; Idipsum statutum fuit ab Innocentio III. in cap. Extirpanda eodem tit. ibi -- Extirpanda consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit, quod scilicet Parochialium Ecclesiarum Patroni, & alia quedam Persona, proventus ipsarum sibi pœnitens vendicantes, Presbyteris earumdem servitiis deputatis, relinquunt ad eam exiguam portionem, quod ex ea nequeant congruè sustentari, nam ( ut pro certo didicimus ) in quibusdam Regionibus Parochiales Presbyteri pro sua sustentatione non obtinent, nisi quartam quartæ, id est sextam decimam decimarum ; Unde fit ut in his Regionibus penè nullus inveniatu Saacerdos Parochialis, qui ullam, vel modicam habeat peritiam literarum ; Cùm igitur os bovis ligari non debeat triturantis, sed qui Altari servit, de Altari vivere debeat, statuimus, ut ( consuetudine qualibet Episcopi, vel Patroni, seu cujuslibet alterius non obstante ) portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur -- Quibus consonant dispositio Concilii Tridentini cap. 7. sess. 7. de reform. , & Constitutio S. Pii V. incipien. Ad Exequendum in Bullar. veteri in ordine la 46. de qua infra Par. VI.*

1. Ratio autem supradictæ Conclusionis est, nè Rectores, seu Vicarii Ecclesiarum Parochialium intenti ad quærendum sibi victum, deserant curam Animarum, vel alia ipsi ob nimiam egestatem in illa exercenda committant, quæ committere non debent, sive nè etiam ob prædictam egestatem sint ludubrio ipsis Parochianis, quos coercere debent, & à quibus debent revereri. Unde assignatio hujusmodi congruæ potiùs concernit interesse Ordinis Parochorum, & curæ Animarum, quàm ipsius Parochi ; Ad eò ut si Parochus, aut Vicarius Ecclesie Parochialis unitæ Monasterio acceptaret tenuem congruam, hujusmodi acceptatio in nulla deberet haberi consideratione ; sed ea non obstante, adhuc Parochus, sive Vicarius prætereundere posset, ut sibi per ejus sustentatione assignetur sufficiens, & congrua portio de redditibus ejusdem Parochialis. *Barbos. in cap. De Monachis de præben. & dignit. in fin., Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 12. num. 25. Card. de Luc. de Paroch. disc. 39. num. 8., Gratian. discept. 399. num. 13. ibique Carol. Anton. de Luca num. 7., Pignattell. consult. 127. num. 2. tom. 4.*

Quoad eandem Conclusionem sequentes examinantur casus .

## ARGUMENTUM.

An Episcopus statuere possit terminum Religiosis ad assignandam congruam portionem Præsentato ab eis ad Ecclesiam Parochialem. Et an institutio, seu admissio Præsentati absque assignatione congruæ portionis sit valida.

## SUMMARIUM.

- 1 Episcopus exercere non potest jurisdictionem in exemptos. Limita ut num. 4.
- 2 Patrono Laico non potest præfigi terminus ad assignandam congruam portionem Parocho de fructibus Parochie.
- 3 Episcopus potest statuere terminum Religiosis ad assignandam congruam portionem Præsentato ab eis ad Ecclesiam Parochialem, quæ si ab eis non assignetur potest assignari ab Episcopo.
- 5 Numerantur modi, quibus Ecclesia Parochialis potest esse subjecta Regularibus.
- 6 Ad cognoscendum an factum contra Constitutionem valeat, quid considerari debeat.
- 7 Institutio Præsentati à Religiosis absque prævia assignatione congruæ est valida.

## CASUS I.

VAcante Ecclesia Parochiali unita quoad temporalia Monasterio Regularium A, isti præsentarunt ad illam quemdam Sacerdotem idoneum; Episcopus verò præfixit eisdem Regularibus terminum quindecim dierum ad assignandam Præsentato congruam portionem, quo non obstante, Regulares nullam assignarunt congruam intrà terminum statutum, & Episcopus instituit Præsentatum; quæritur

Primò: An Episcopus præfigere possit Regularibus terminum ad assignandam congruam Præsentato ad Ecclesiam Parochialem ad ipsos spectantem?

Secundò: An institutio Præsentati facta per Episcopum absque prævia assignatione congruæ sustineatur?

- 1 Ad primum respondendum videtur non posse Episcopum præfigere ullum terminum Regularibus ad assignandam

congruam portionem Præsentato ad Ecclesiam Parochialem eorum Monasterio subjectam, talis namque præfixio termini sapit, ac importat Jurisdictionem, quam Episcopus exercere non potest in exemptos, juxta auctoritates relatas *Par. II. Can. XIV. & XV. Cas. VIII. num. 3.*, Insuper Regulares non aliud consequuntur in Ecclesia Parochiali spectante ad eorum Monasterium nisi id, quod consequitur quilibet Laicus ratione Jurispatronatus, ut testatur *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 3. quest. 10. art. 1. num. 2.*,

- 2 Laico autem non potest præfigi terminus ad assignandam Præsentato per eum ad Ecclesiam Parochialem congruam portionem de fructibus Parochie, cum Laicus ex vi Jurispatronatus non consequatur hujusmodi fructus; *Lambertin. ubi supra art. 5.*, *Passerin. in cap. Suscepti de præben. & dignit. in 6. num. 16.*; Igitur nec Religiosis iste terminus præfigi poterit ab Episcopo.

- 3 At nihilominus censeo Episcopum habere facultatem præfigendi terminum competentem Regularibus, sive eorum Procuratori ad assignandam Parocho, aut Vicario perpetuo per eos præsentato ad Ecclesiam Parochialem quoad temporalia eorum Monasterio subjectam, portionem congruam, & sufficientem non solum pro ejus victu, & sustentatione; sed etiam pro necessariis expensis ejusdem Ecclesie, & pro solutione Jurium Episcopali, adeò ut si elapso dicto termino non fuerit à Religiosis assignata dicta portio reddituum Ecclesie Præsentato, potest, & debet Episcopus propria auctoritate illam ei assignare, juxta dispositionem hujus Canonis, ibique *Gloss.*, *Ancharan., Imol. num. 1.*, *Butr. in cap. de Monachis de præben. num. 11.*, *Lambertin. de jurepatronat. par. 3. quest. 10. artic. 2. 6. & 9.*

- 4 Nullatenus adversante, quòd Regulares gaudeant exemptione ab Ordinarii jurisdictione; siquidem exemptio hæc in hoc casu in nulla haberi debet consideratione; sed ea non obstante valet Episcopus compellere Regulares ad assignandam congruam Præsentato, etiam per censuras, eisque præfigere terminum ad hujusmodi assignationem, ea ratione quia Regulares licet exempti, in quampluribus tamèn subii-

subjiciuntur Ordinariis, ut expresse sancitum fuit ab hoc *Canone*, & anteceden-  
ter definitum fuit à *Clemente III. in cap. Suscepti de præben. & dignit. in 6.*, ibi --  
*Suscepti regiminis nos cura sollicitat &c. Sane fuit olim per Sedem Apostolicam providè  
constitutum, ut Diocesani locorum ad præ-  
sentationem Religiosorum nullum ad ali-  
quam Ecclesiam recipiant nisi tantum ei de  
proventibus ipsius Ecclesie coram eis fuerit  
assignatum, unde jura Episcopalia possint  
solvere, & congruam sustentationem habe-  
re. Verùm (sicut nobis querela multorum  
frequenter insinuat) Religiosi exempti de  
proventibus Parochialium Ecclesiarum, in  
quibus jus obtinent patronatus, seu Recto-  
rum præsentatio pertinet ad eosdem, tan-  
tum percipiunt annuatim, quod Rectores  
Ecclesiarum ipsarum non possunt de residuo  
commode sustentari, & Episcopalia jura  
persolvere, ac alia incumbentia eis onera  
supportare; propter quod sæpe contingit quod  
non inveniuntur personæ idoneæ, quæ hujus-  
modi Ecclesias velint recipere: sicque fre-  
quenter minus idoneis conferuntur, ex quo  
pericula imminet Animarum. Nos itaque  
volentes super hoc salubre remedium adhi-  
beri: Præsenti decreto statuimus, & man-  
damus Constitutionem hujusmodi quoad om-  
nes Patronos Ecclesiarum Religiosos tam  
exemptos, quàm non exemptos, & alios in-  
violabiliter observari consuetudine contra-  
ria non obstantè -- *Monacell. formul. le-  
gal. 6. tit. 3. num. 11. par. 3.**

5 Neque universaliter, & absolute sub-  
sistit, quod Regulares in Ecclesiis Paro-  
chialibus sibi subjectis non aliud conse-  
quantur nisi id, quod consequitur quilibet  
Laicus ratione Juris patronatus; pro  
remotione namque hujus æquivoci scien-  
dum est multipliciter Ecclesiam Parochia-  
lem esse posse subjectam Regularibus, sive  
eorum Monasterio, nimirum potest esse  
subjecta primo quoad Jus patronatus; eo  
quia ipsis ex fundatione, constructione,  
dotatione, aut donatione competat jus  
ad illam præsentandi Rectorem. Secun-  
dò, quoad institutionem collativam. Ter-  
tiò, quoad institutionem auctorizabilem.  
Quartò, quoad temporalia, eo quia pro-  
pter Regularium inopiam fuerit eis con-  
cessa à Papa, vel ab Episcopo Ecclesie,  
quoad temporalia. Quintò, quoad tem-  
poralia simul, & spiritualia. Quàmvis

quando Ecclesia est subjecta Regularibus  
solum quoad Jus patronatus, isti nihil plus  
consequantur in ea, quam alii Patroni  
Laici; & consequenter non possit eis præ-  
figi terminus ad assignandam congruam  
Parocho ab ipsis præsentato, cum non  
percipiunt fructus ejusdem Ecclesie Pa-  
rochialis, sicuti eos non percipiunt, quan-  
do Ecclesia est ipsis subjecta quoad insti-  
tutionem collativam, vel quoad institu-  
tionem auctorizabilem. Tamen quando  
Ecclesia est eisdem Regularibus subjecta  
quoad temporalia, uti est casus, de quo  
agitur, vel quoad temporalia simul, &  
spiritualia, ipsi non æquiparantur aliis  
Patronis Laicis; sed potest, & debet illis  
assignari terminus ad constituendam Pa-  
rocho, vel Vicario perpetuo congruam  
sustentationem, de fructibus ejusdem Ec-  
clesie, eo quia percipiunt fructus Ecce-  
siae, & quod superest, possunt converte-  
re in propriam eorum utilitatem, juribus  
Episcopalibus, & aliis Ecclesie oneribus  
persolutis, juxta doctrinam *Abbatis in  
capit. De Monachis de præben. & dignit.  
num. 5.*, quem sequuntur *Lambertini  
de jure patronat. lib. 2. par. 3. quest. 10.  
art. primo num. 2.*, *Passerin. in capit. Su-  
scepti de præben. & dignit. in 6. num. 4.,  
& seqq.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 12.  
num. 2. & seqq.*

6 Descendendo verò ad secundum Du-  
bium, pro illius resolutione, præsuppo-  
nendum est, quod ad cognoscendum an  
factum contra Constitutionem valeat, &  
sustineatur, considerari debeat, an Con-  
stitutio inhibens procedat ultra, aut non  
procedat ultra, sed simpliciter inhibeat;  
Si procedat ultra animadverti etiam de-  
bet, an procedat ultra actum confirman-  
do, aut infirmando, aut procedat ultra,  
dando remedium contra factum, aut pro-  
cedat ultra apponendo pœnam. Primo  
casu factum contra Constitutionem valet,  
secundo casu non valet, tertio casu si est  
remedium rescissorium valet actus, sed  
potest rescindi, quarto casu si imponatur  
pœna inferens necessariò nullitatem  
actus, non valet, secus si non inferat ne-  
cessariò hujusmodi nullitatem. Si verò  
Constitutio inhibet simpliciter, & tunc,  
aut ille, cui fit inhibitio, recepit potesta-  
tem à Constitutione inhibente, & factum  
contra Constitutionem non valet, aut  
non

non recipit ab illa potestatem, & tunc factum non est nullum.

- 7 Hoc supposito ad dubium respondendo, cenfeo dicendum Institutionem Præsentati factam per Episcopum absque prævia assignatione congruæ sustineri, tum quia in hoc Canone non fuit à Clemente V. apposta pœna inferens necessario nullitatem actus, sed solum inhihetur Episcopis sub obtestatione Divini iudicii, ne instituat Præsentatum in Parochiali Ecclesia absque assignatione congruæ portionis, tum quia Ordinarius non recipit potestatem instituendi ab hoc Canone, ita *Gloss. hic verb. Inhibentes, Lambertin. de jure patronat. lib. 2. par. 3. quæst. 10. artic. 4.*

### ARGUMENTUM.

Congrua debita Parocho, sive Vicario perpetuo præsentato ad Ecclesiam Parochialem subjectam Monasterio Regularium, in quibus, & in qua summa assignari, & taxari debeat.

### SUMMARIUM.

- 1 *Congrua semel assignata, & acceptata non potest amplius augeri, nec minui. Amplia, ut num. 2., limita, ut num. 10.*
- 3 *Enumerantur plures species emolumentorum Parochialium.*
- 4 *Congrua an & in quibus emolumentis incertis assignari possit Parocho, sive Vicario perpetuo, & num. 5.*
- 6 *Monasterium si percipiat decimas tenetur augere, & assignare Congruam Vicario perpetuo, etiam in decimis, constito de insufficientia ejusdem congruæ. Amplia, ut num. 8., & quare vide num. 9.; Secus si non percipiat decimas, quia tunc cogi debent Parochiani, & num. 7.*
- 11 *In assignatione congruæ nulla habenda est ratio emolumentorum, quæ Parochus, sive Vicarius perpetuus ex aliis Beneficiis, vel legatis extra Ecclesiam Parochialem percipit.*
- 12 *Congrua in qua summa sit taxanda, & assignanda Parocho; Concilium Tridentinum totam reposuit arbitrio Ordinarii.*

13 *Ordinarius in assignatione congruæ, ad quæ respicere debet?*

14 *Congrua est veluti dos Parochi ad supportanda onera matrimonii spiritualis.*

15 *Divus Pius determinavit congruam debere esse certam, sed non minorem quinquaginta, nec majorem centum scutorum. Intellige, ut num. 16.*

17 *Parochus debet esse contentus congrua sibi sufficienter assignata.*

18 *Vicarius perpetuus præsentatus ad Ecclesiam Parochialem spectantem ad Regulares an teneatur se conformare Constitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Episcopi, quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, & curam Animarum.*

### CASUS II.

Vicarius perpetuus Ecclesiæ Parochialis A subjectæ cuidam Monasterio Regularium experiens congruam sibi in actu suæ provisionis à Regularibus assignatam in scutis decem detrahendis ex bonis ejusdem Parochiæ, & in emolumentis funerum Baptismatum, & Matrimoniorum, esse minus sufficientem pro ejus sustentatione, utpotè ascendentem, solum ad scuta quindecim circiter petiit ab eisdem Regularibus, ut congrua hæc sibi augeatur, & assignetur etiam in decimis, quas Regulares percipiunt, & exigunt à Parochianis dictæ Parochiæ; Queritur in hoc casu, an dicta congrua sit huic Parocho augenda, & assignanda, etiam in decimis.

Quod non sit augenda, nec assignanda in decimis suadere videtur factum ipsius Vicarii, seu Parochi, iste enim Præsentatus à Regularibus ad Ecclesiam Parochialem, eam acceptavit sub congrua portione sibi assignata in dictis scutis decem, & in emolumentis funerum Baptismatum, & Matrimoniorum, & cum ea unitim cum fructibus cujusdam simplicis Beneficii, quod retinebat, vixit per aliquot annos, successivè proindè prætere non potest, ut sibi augeatur, & assignetur dicta congrua etiam in decimis, quia congrua semel assignata, & acceptata non potest amplius augeri, & sibi imputare debet Vicarius, quod acceptaverit congruam nimis tenuem, *Tondut. quæst. benef. cap. 58. num. 6. tom. 1., Rot. dec. 239. num. 1.*

num. 1. par. 2. Rec., Panimoll. dec. 15. annotat. 2. num. 11.; Fortius animadvertendo, quòd congrua in dictis emolumentis fuit ei assignata de consensu Episcopi, adeòque præsumitur sufficiens, cum jura in hujusmodi assignatione conscientias Ordinariorum onerent. *Tondut. d. cap. 58. n. 9. to. 1.*

Non obstat, quòd supradicta emolumenta utpotè incerta computari non possint in congruam, *Gratian. discept. 399.*

3 num. 19.; Quoniam plures distinguendæ sunt species emolumentorum, alia enim sunt emolumenta merè incerta, & voluntaria, quæ dependent à pia devotione, & pietate Fidelium, ut sunt oblationes, & elemosynæ; Alia sunt incerta non merè, sed ex longa observantia quodammodo certa, uti sunt oblationes, quæ fiunt quolibet anno occasione festivitatis alicujus Sancti Parochiæ, e. g. oblationes, quæ fiunt in cera, & pecuniis, occasione, qua die commemorationis S. Antonii ducuntur ad ejus Ecclesiam equi, & alia animalia pro eorum benedictione; Et alia sunt pariter incerta non merè, sed ex dispositione juris quodammodo certa, ut sunt emolumenta parochialia Funerum, Baptismatum, & Matrimoniorum, quæ ex dispositione juris certò debentur

4 Parocho. Quamvis congrua assignari non debeat Parocho, aut Vicario perpetuo in emolumentis merè incertis, & voluntariis, *Pignattell. consult. 167. num. 8. tom. 9. Tondut. quæst. benef. cap. 58. num. 3. & 5. tom. 1., Rot. decis. 5. num. 3. & seq. par. 2. divers. & decis. 420. num. 2. par. 1. Rec. &*  
5 *decis. 734. per tot. coram Coccin.*; Tamen assignari potest in emolumentis quoad se quidem incertis, sed ex observantia; & dispositione juris quodammodo certis, ut sunt illa, de quibus agitur; *Card. de Luc. de Paroch. disc. 18. num. 12., & de Benefic. disc. 90. num. 73. & in annot. ad Concil. discurs. 9. num. 8., Pignattell. consult. 44. numero 9. tom. 8., & expressè declaravit S. Pius in ejus Constitutione la 46. Bullar. vet., ibi -- Computatis omnibus etiam incertis emolumentis.*

6 Sed his minimè attentis existimo congruam esse augendam, & assignandam à Regularibus dicti Monasterii huic Parocho, etiam in decimis; Constat enim de evidenti illius insufficientia, & tenuitate, quæ computatis certis, cum incertis vix

Pars IV.

ascendit ad annua scuta quindecim; constat etiam dictum Monasterium exigere decimas à Parochianis ejusdem Parochiæ; unde licet Monasterium, Capitulum, aut Collegium, quando percipit ab Ecclesia Parochiali sibi unita solum emolumenta Baptismatum, Matrimoniorum, & Funerum non teneatur assignare Parocho, sive Vicario perpetuo aliquid aliud ultra dicta emolumenta, sed si hæc sint insufficientia pro congrua Vicarii sustentatione cogi debent Parochiani ad supplementationem *Concil. Trident. cap. 4. sess. 21. de reform., Cardin. de Luc. de Paroch. discurs. 18. num. 10. & seq.*, & resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii mediante apud R. P. D. Petra in *Melpbien. Congruæ 27. Junii 1711.*, ubi propositis inter cætera sequentibus Dubiis. Primò -- *An Parocho S. Nicolai Terra Barilis debeatur Congrua? & quatenus affirmativè --* Secundò -- *An, & à quibus illa debeatur --* Tertio -- *In qua quantitate, & in quibus effectibus, seu emolumentis sit eadem Congrua dicto Parocho assignanda; in casu &c.* responsum fuit ad Primum Affirmativè, ad Secundum à Parochianis, ad Tertium Arbitrio, & conscientia Episcopi, computatis de jure computandis. Tamen quando ultra dicta emolumenta Monasterium percipit decimas, congrua assignari debet etiam in decimis usque ad sufficientem Vicarii sustentationem, juxta *Abbat. in cap. Cum contingat num. 7. de decim., Tondut. quæst. benef. cap. 58. num. 1. & 16. tomo primo, Pignattell. consult. 127. num. 3. tom. 4., Rot. dec. 112. num. 5. & 16. par. 19. Rec. & in Burgen. Decimarum de Bellorado 26. Novembris 1714. S. fin. coram R. P. D. Crispo, & in Compostellana Congruæ 11. Februarii 1715. S. Cum enim coram R. P. D.*  
8 *Foscaro.* Etiam si Vicarii antecessores contenti fuerint, & acceptaverint congruam in emolumentis Funerum, Baptismatum, aut Matrimoniorum, aut inter ipsos, & Monasteria fuerit inita concordia super assignatione congruæ in dictis emolumentis, quia cum constet de insufficientia ejusdem congruæ, talis acceptatio, & concordia afficeret eosdem antecessores, & remaneret personalis, nullatenus successorum obligatoria, *Card. de Luc. de Paroch. disc. 20. num. 4., Rot. decis. 152. coram Gregor., ibique Adden. & decis. 152. num. 1.*

E

num. 1.



num. 1. par. 2. Rec., & decis. 429. num. 3. & seqq. cor. Gregor., Panimoll. decis. 15. coram Buratt., & decis. 402. num. primo par. 5. Rec.

9 Ratio autem fundatur in ipsa natura decimarum, istæ namque sunt proprium pabulum, & patrimonium Parochorum, ab initio pro eorum sustentatione reservatum, ex *Textu in cap. Omnes Decimæ 16. quæst. 7. cap. fin. de Paroch., Rebuff. de Decim. quæst. 7. art. 4., Rot. decis. 420. num. 6. par. 3. Rec., & in Varsavian. Decimarum prima Julii 1715. §. De jure namque, & in Cracovien. Decimarum 16. Martii 1716. §. Pratermissa, coram R. P. D. Foscaro.* Justa igitur, & rationabilis est præsens instantia Vicarii, ut congrua sibi augeatur à dictis Regularibus, & detrahatur etiam ex Decimis, quibus tale onus adhæret, juxta *Text. in can. primo 16. quæst. 6. cap. Cum contingat, cap. Cum in tua, cap. Parochianus de Decimis, Rebuff. de Decim. par. 7. num. 4., & alios quos refert, & sequitur Rota in Toletana Decimarum de Capilla super Congrua 6. Maji 1718. §. Verum, coram R. P. D. Foscaro.*

10 Hinc patet responsio ad ea, quæ superius pro ratione dubitandi in contrarium adducebantur. Siquidem quod congrua semel assignata, & acceptata non possit amplius augeri, vel minui, & quod in assignandis congruis multum deferatur judicio Ordinarii, limitatur quando tractu temporis eadem congrua apparet adeò diminuta, & tenuis, ut cum ea Vicarius nullatenus se sustentare possit, *Passerin. in cap. Suscepti, de præben. in 6. num. 14. Gratianus discept. 399. num. 12. Card. de Luca de Paroch. disc. 19. num. 3. & disc. 39. num. 7. & in Annot. ad Concil. disc. 9. num. 11. Tondut. quæst. benefic. 58. num. 7. to. 1. Pignatrell. consult. 126. num. 1. & seq. to. 10. Rota decis. 173. num. 1. & seq. coram Seraph. & decis. 429. coram Gregor. & decis. 48. num. 3. & seqq. par. 13.*

11 Nec officit, quod Vicarius perpetuus supradictæ Ecclesiæ Parochialis per multos annos vixerit cum dicta congrua sibi in scutis decem, & in dictis emolumentis assignata; hoc enim evenit eo quia idem Vicarius fruebatur nonnullis fructibus ejusdem beneficii simplicis per eum possessi; qui fructus uniti cum emolumentis Parochialibus sufficiebant pro ejus su-

stentatione; cum autem hodie nolit amplius vivere ex fructibus dicti beneficii; sed ejus sustentationem velit totaliter pendere à fructibus Parochiæ, cui inservit; congruum est, ut dicti fructus, & emolumenta, Parocho assignentur a Regularibus usque ad sufficientiam, nulla habita ratione emolumentorum, quæ idem Parochus, seu Vicarius ex aliis beneficiis, seu legatis extra Ecclesiam Parochialem percipere potest, quia ex eo Altari quis vivere debet, cui inservit, *Tondut. quæst. benefic. cap. 58. num. 2. to. 1. Rota in Compostellana Congrua 11. Februarii 1715. §. Cum enim, coram R. P. D. Foscaro.*

Patet igitur ex supradictis congruam assignari debere huic Parocho, seu Vicario perpetuo etiam in decimis, quas Regulares dicti Monasterii percipiunt. In qua autem summa hujusmodi congrua sit ei assignanda, ac taxanda: nihil certum determinavit sacrum Concilium Tridentinum dicto cap. 7. sess. 7. de reformat. sed totum reposuit arbitrio Ordinarii, qui, secundum dignitatem Ecclesiæ, qualitatem personæ Rectoris, & loci Parochiæ, quantitatem fructuum, & onerum, & numerum Animarum; quæ omnia in hujusmodi congruis assignandis debent attendi, *Fagnan. in cap. Extripanda, de præben. & dignit. num. 17. Tondut. quæst. benefic. cap. 58. num. 13. & seqq. to. 1. Gratian. discept. 399. num. 3. & seqq. tom. 2. Rota decis. 437. nu. 5. par. 3. & decis. 595. num. 6. par. 4. Recent. & in Compostellana Congrua 11. Februarii 1715. §. Totaque, coram R. P. D. Foscaro; potest Parocho, seu Vicario perpetuo assignare majorem, vel minorem congruam, quæ est veluti dos Parochi, ad fopportanda onera matrimonii spiritualis, quod contrahit cum Christo, & cum Ecclesia, *Paul. de Citad. de jurepatr. par. 3. §. Secunda causa num. 5. Hurtad. de Congrua lib. 1. resolut. 1. §. 1.**

15 Divus verò Pius V. in ejus Constitutione la 46. incipien. *Ad exequendum*, Bullar. vet. determinavit congruam debere esse certam, sed non minorem quinquaginta, nec majorem centum scutorum, ibi -- *Statuimus, ordinamus, ac declaramus per Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis ipsis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipso-*

ipforum Prelatorum arbitrio facienda ita se continere, & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summam eis omnino assignetur -- Et testantur Fagnan. in cap. de Rectoribus, de Cleric. egrot. num. 9. Passerin. in cap. Suscepti, de præben. in 6. nu. 12. Cardin. de Luca de Paroch. disc. 20. num. 5. Monacell. form. legal. 1. tit. 15. n. 30. par. 2.

16 Cum hac tamen intelligentia, nimirum, quod congrua debeat Vicario assignari non minor quinquaginta scutorum, procedit quando emolumenta, seu fructus Parochiæ spectantis e. g. ad aliquod Monasterium ascendunt ad dictam summam, vel ad majorem, secus si ad talem summam non ascendant, tunc enim non tenetur Monasterium assignare Vicario congruam usque ad summam scutorum quinquaginta, quia non tenetur assignare ultra id, quod percipit. Quod verò non possit esse major centum scutorum procedit attenda purè, & præcisè sustentatione Parochi, sive Vicarii perpetui; dum attentis aliis circumstantiis supra enumeratis, potest esse major, ut tradunt Cardin. de Luca in Annot. ad Concil. disc. 9. num. 10. Tondut. quest. benef. cap. 58. num. 13. tom. 1. Carolus Anton. de Luca ad Gratian. discept. 399. num. 1. & seq.

17 Assignata autem justa, & rationabili congrua Parocho, sive Vicario perpetuo Ecclesiæ Parochialis, iste ea debet esse contentus, nec aspirare ad fructus superfluos ejusdem Ecclesiæ, & illos in usus pravos, & indecentes convertere; sciat enim se quiddam præter necessarium victum, & simplicem vestitum de Altari retinere, suum non esse, rapinam esse, sacrilegium esse, ut testatur Divus Bernardus epist. 2. ad Fulionem circa finem.

Timeant Clerici (sunt verba ejusdem Sancti Serm. 23. in Cant. explicantis illa verba Isaie 26. n. 9. In terra Sanctorum iniqua gessi). Timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant minimè contenti, superflua, quibus egeni sustentari forent, impiè, sacrilegèque retinent: & in usus suæ superbiæ, victum pauperum consumere non verentur, duplici profectò iniquitate peccant, quod aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus abutuntur.

Par. IV.

18 Quæro hic, an Vicarius perpetuus presentatus ad Ecclesiam Parochialem, spectantem ad Regulares, teneatur se conformare Constitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Episcopi quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, & curam Animarum.

Simili dubio responsum fuit affirmative à Sacra Congregatione Concilii in una Pragen. Jurisdictionis 14. Januarii 1708. & 9. Junii ejusdem anni ad Quintum, ubi vertente jurisdictionali controversia inter Magnum Priorem Bohemiæ Hierosolymitanæ Religionis ex una, & Archiepiscopum Pragen. ex altera partibus, disputata fuerunt infrascripta dubia:

Primò -- An pro exemptione à jurisdictione Ordinaria Archiepiscopi sufficiat sola nominatio, seu deputatio Presbyteris secularibus facta à Superiore Divi Joannis Hierosolymitani in Ecclesiis dicti Ordinis pro Cura Animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab Archiepiscopo, sive potius requiratur admissio, approbatio, & licentia Archiepiscopi, sive ejus Concistorii ad Curam Animarum, & administrationem Sacramentorum.

Secundò -- An prefati nominati, seu deputati ad dicta beneficia Curata teneantur examen subire, & professionem Fidei emitte coram Archiepiscopo, vel ejus Concistorio, antequam Curam Animarum exercent?

Tertiò -- An itidem teneantur præstare juramentum ad Curam Animarum debitè obeundam coram Archiepiscopo, sive ejus Concistorio, & quomodo?

Quartò -- An dictus Archiepiscopus, sive ejus Concistorium pro prædictis exigendis procedere possit jure ordinario, sive potius delegato.

Quintò -- An dicti nominati, seu deputati in dictis Ecclesiis, postquam reportaverint ab Archiepiscopo licentiam pro exercenda Cura Animarum teneantur se conformare Constitutionibus Synodalibus, & Ordinationibus Concistorialibus quoad omnia in ordine ad Sacramentorum administrationem, & Curam Animarum.

Sextò -- An dictis Presbyteris secularibus ut supra nominatis, seu deputatis in prefatis Ecclesiis, & ab Archiepiscopo examinatis, & idoneis repertis, teneatur idem

Archiepiscopus concedere licentiam exercendi Curam Animarum, & quatenus affirmativè.

Septimò -- An in bujufmodi licentiis Archiepiscopus valeat sibi referbare facultatem eam revocandi ad sui beneplacitum, seu potius debent eam concedere purè, & simpliciter.

Octavò -- An Archiepiscopus debeat exprimere se procedere auctoritate delegata, dum procedit contra dictos Presbyteros exercentes Curam Animarum, itaut hoc non expressò, non teneantur illi ei obedire etiam in concernentibus Curam Animarum.

Nonò -- An Archiepiscopus prædictos Presbyteros exercentes Curam Animarum in casu non paritionis ejus præceptis possit plectere pœna revocationis licentia exercendi Curam Animarum.

Decimò -- An præfati Presbyteri pro servitio dictarum Ecclesiarum valeant assumere Cappellanos pro celebratione Missarum in eisdem Ecclesiis sine licentia Archiepiscopi.

Quibus prodiit responsum, ad primum: Negativè quoad primam, & affirmativè quoad secundam partem. Ad secundum: Affirmativè quoad examen, & quoad professionem Fidei ad formam Concilii. Ad tertium: Affirmativè. Ad quartum: Jure delegato. Ad quintum, & sextum: Affirmativè. Ad septimum: Negativè quoad primam, & affirmativè quoad secundam partem. Ad octavum: Affirmativè. Ad nonum: Recurratur in casibus particularibus. Ad decimum: Affirmativè.

## C A N O N I I.

### C L E M E N S V.

**P**Lures ab uno ex Patronis Ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris.

Et ut faciliùs provideatur Ecclesiis, non inconveniens reputamus, Patronos ipsos inter se posse liberè convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando. Quibus etiam ex eadem causa permittimus, ut plures ad vacantem Ecclesiam possint eo modo præsentare personas, quòd una ex eis eligi per Episcopum valeat, & admitti.

## COMMENTARIUM

EX hoc Canone sequentes deducuntur conclusiones :

Prima -- JUSPATRONATUS HÆREDITARIUM TRANSIT AD HÆREDES IN STIRPES, NON AUTEM IN CAPITA.

Secunda -- PATRONI POSSUNT DIVIDERE EXERCITIUM JURISPATRONATUS PER TURNUM, ET ALTERNATIVAM; SEU POSSUNT INTER SE CONVENIRE, QUOD ALTERNIS VICIBUS PRÆSENTENT.

Tertia -- PATRONI LAICI POSSUNT PLURES ACCUMULANDO PRÆSENTARE. Ità præter Doctores relatos in *Can. I. & II. & Can. IX. X. & XI. Par. II.* tradunt *Gloss. verb. Alternis vicibus, Ancharan. Imol. & Vitalin. hic Lambertin. de jurepatr. lib. 1. par. 2. quest. 1. art. 1. Vivian. eodem tract. par. 1. lib. 4. cap. 1. Casar de Grassis decis. 2. de jurepatr. Rota coram Duran. decis. 56. num. 1. Capon. discept. 72. num. 13. tom. 2. Tondut. quest. benefc. cap. 32. num. 4. tom. 1. Rota decis. 28. num. 5. coram Pamphil. & decis. 17. num. 2. coram Otthobon. & decis. 381. num. 20. coram Priolo, & in Hispalen. divisionis simultaneæ 4. Junii 1700. in principio, coram Eminentiss. Priolo.*

- 1 Statutum fuit superius in *Can. I. & II. Par. II.* juspatronatus transire ad hæredes. Quomodo autem transeat ad hæredes, hic declaratur à *Clemente V.* Quæstio celebris erat antè hunc *Canonem* super successione juspatronatus hæreditarii. *Innocentius* sentiebat in *cap. 1. de jurepatr.* successionem juspatronatus fieri in stirpes, & non in capita, itaut si plures uni succedant, habentur loco unius, motus ea ratione, quia in successione hæreditaria fit successio in stirpes, §. *Et quia placuit, instit. de hæredit. qua ab intestato defertur. Vincentius*, & alii sequaces contrariam sententiam tuebantur. *Archidiaconus* verò in *Canon. Plures 16. quest. 7.* mediam tenuit sententiam, nimirum, si plures ex diversis causis sint Patroni, ut quia unus fundavit, alter dotavit, tunc omnes descendentes ab altero, habentur loco unius, & sic succedunt in stirpes. Si autem ex unica causa sint Patroni, vel unicus sit Patronus, tunc descendentes succedunt in capita, & non in stirpes. *Clemens* autem *V.* ad dirimendam hujusmodi quæstionem inter præfatos *Doctores*, approbavit hinc sententiam *Innocentii*, statuendo, quod juspatronatus hæreditarius transeat ad hæredes in stirpes, & non in capita. Et ratio sic statuendi fuit ad tollendas fraudes inter Patronos. Nam si juspatronatus hæreditarius transfret ad hæredes in capita, unus ex Patronis instituendo decem hæredes fraudare posset compatronum actu præsentandi, *Rocc. de Curt. de jurepatr. in verb. Ipse, vel is num. 2. Lottber. de re benefc. lib. 2. quest. 11. num. 126. Cassador. de jurepatr. decis. 2. num. 2. Rota decis. 99. num. 3. par. 17. Recent.*
- 4 Insuper hic idem Pontifex, ultra remedia præscripta in supradictis *Canonibus I. & II. Par. II.* dat aliud remedium ad reducidos ad concordiam Patronos inter se contententes super præsentatione; nimirum considerans societatem esse matrem discordiarum, concedit Patronis facultatem dividendi jus præsentandi per Turnum, itaut in una vacatione beneficii præsentent uni, in alia alii; ut sic ea concordia, quæ esse non poterat inter ipsos in societate, obtineretur, & conservaretur in divisione.

Quoad tertiam conclusionem jam superius plenè diximus *Can. IX. X. & XI. Par. II.* Quoad verò primam, & secundam sequentes examinantur casus.

## ARGUMENTUM.

Quomodo computentur voces in Jurepatronatus hæreditario, ad effectum cognoscendi, quis ex præsentatis ab hæredibus sit instituendus?

## SUMMARIUM.

- 1 Juspatronatus hæreditarium defertur ad hæredes per stirpes, & non per capita; amplia ut ibi limita, ut num. 4. Et quid de jurepatronatus mixto. Vide ibi.
- 2 Lex emanans pro declaratione juris dubii non solum respicit futura, sed etiam præterita.
- 3 Plures Universitates, vel plura Collegia succedunt in jurepatronatus in stirpes, & non in capita.
- 5 Vox duorum hæredum unius Patroni tantum operatur, quantum vox decem hæredum alterius Patroni.
- 6 Præsentatus ab octo ex decem hæredibus unius Patroni, an sit præferendus præsentato à duobus hæredibus alterius Patroni, & ab aliis duobus ex decem primi Patroni?
- 7 Factum à majori parte Patronorum perinde habetur ac si omnes egissent.
- 8 Ad hoc ut hæredes unius ex Patronis faciant majorem partem, & perficiant vocem; est necessè, quod sit major pars simpliciter, & non comparatione minorum.

## CASUS I.

1 **P**rima conclusio deducta ex hoc Canone, quod juspatronatus hæreditarium deferatur ad hæredes per stirpes, & non per capita, ampliatur, sive hæredes sint ab intestato, sive ex testamento, sive sint descendentes, sive collaterales, sive masculi, sive fœminæ, sive sui, sive extranei, *Roch. de Curt. de jurepatr. verb. Ipse, vel is num. 5. Lambertin. eodem tract. lib. 1. par. 2. quest. 1. art. 26. num. 6. Ricc. collect. decis. 1733. par. 5. & dec. 4233. par. 9. Tondut. quest. benef. 32. num. 4. to. 1. Rota decis. 46. num. 3. coram Priolo, sive juspatronatus sit mixtum, in quo succeditur etiam per stirpes, & pro ratis por-*

tionibus, non verò in capita, *Rota in Mediolanen. Prioratus super mixtura, & filiis familias 15. Junii 1705. superius impress. Par. II. Can. I. & II. Cas. VI. n. 44.* dummodo hæredes ex familia vocati non sint tamquam unum corpus, & collegialiter; quia si sint ita vocati, tunc in eo computatio fit in capita, & non in stirpes; descendentes verò ab eis in stirpes, *Tondut. quest. benef. cap. 157. num. 8. par. 3.* Et sive agatur de jurepatronatus erecto ante hanc Clementinam *Plures*, ubi vigebat opinio, quod juspatronatus deferretur ad hæredes per capita, & non per stirpes, sive agatur de jurepatronatus erecto post hanc Clementinam; non obstante regula, quod virtus legis sit dare normam futuris, non autem præteritis negotiis, juxta *l. Leges 7. C. de legibus, & cap. final. de constit.* in qua se fundant auctoritates, quæ in contrarium adduci possunt, nempe *Spad. conf. 12. lib. 2. Rota coram Lancellotti. apud Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 1. post num. 71.* quæ tenent, quod in jurepatronatus fundato ante Clementinam *Plures*, successio regulanda sit per capita.

2 Quoniam cum dispositio Clementina emanaverit pro declaratione juris dubii ad dirimendas quæstiones *Doctorum*, ut dixi in *Comment. num. 2.* sequitur, quod non solum respiciat futura, sed etiam præterita, *Felin. in cap. final. de constit. num. 4. Rota decis. 469. num. 4. lib. 1. coram Puteo; & ita in terminis docet Rota decis. 99. per tot. par. 17. recent.*

3 Procedit etiam supradicta conclusio, quando juspatronatus defertur ad plures Universitates, vel ad plura Collegia non solum titulo hæreditario, sed etiam titulo donationis, vel emptionis, tunc enim illæ Universitates succedunt in stirpes, & non in capita, itaut unaquæque Universitas habeat unam vocem, *Lambertin. ubi supra num. 20. Roch. de Curt. ubi supra num. 5. Menoch. conf. 316. vol. 4. Vivian. de jurepatron. par. 1. lib. 4. cap. 1. num. 61.*

5 Limitatur tamen conclusio, quando observantia est in contrarium, præsentandi scilicet per capita in jurepatronatus hæreditario, juxta *Rotam post Vivian. de jurepatr. par. 1. lib. 4. cap. 1.* Et quando Ecclesia unicum habet Patronum, tunc enim

enim hæredes illius ab ipso immediatè instituti succedunt in capita, & non in stirpes, quia tunc non adest præjudicium alterius compatroni, *Vivian. de jurepatr. lib.12. cap.8. num.7.* sed postea filii dictorum hæredum succedunt in stirpes, ut si erant tres hæredes Titius, Cajus, & Sempronius, Titius reliquit quatuor filios, Cajus sex, & Sempronius octo, isti filii succedunt in stirpes; itaut si quatuor filii Titii, vacante Ecclesia patronali, præsentent ad illam Clericum A; & sex filii Caji præsentent Clericum B, & octo filii Sempronii præsentent Clericum C; Iste Clericus C præsentatus ab octo filiis Sempronii, non dicitur præsentatus à majori parte Patronorum, sed omnes præsentati sunt in paritate vocum, quia tantum operatur vox octo filiorum Sempronii, quantum vox illorum sex, seu illorum quatuor, cum illi octo repræsentent Sempronium illi sex Cajum, & illi quatuor Titium, *Lambertin. de jurepatr. lib.1. par.2. quæst.1. art.25. num.12. §. Si verò Vivian. eod. tract. lib.4. cap.1. par.1. num.60.*

5 Sed quando Ecclesia habet duos Patronos, quorum unus instituat duos hæredes, & alius instituat decem hæredes; isti omnes hæredes instituti succedunt in stirpes, & non in capita, itaut tantum operabitur vox duorum hæredum primi Patroni, quam decem alterius Patroni, *Lambertin. de jurepatronatus lib.1. par.2. quæst.1. artic.31. num.12. vers. Unde pro vera.*

6 Sed pone, quod illi decem hæredes ab altero Patrono instituti sint discordes inter se in præsentando, itaut octo ex illis præsentent Cajum, & duo præsentent Titium præsentatum etiam à duobus hæredibus primi Patroni; quæritur, quis ex istis præsentatis veniat præferendus? Videtur esse præferendum Titium utpotè præsentatum à majori parte Patronorum, quia ultra integram vocem primi Patroni habet etiam duas partes vocis ex decem hæredibus alterius Patroni; At hoc non obstante Titius non dicitur præsentatus à majori parte Patronorum, sed esse in paritate vocum cum Cajo, & habere jus æquale, taliter quòd magis idoneus venit præferendus, & si cætera sint paria est locus gratificationi: ratio est, quia vox

illorum decem hæredum erat apud majorem partem, & sic apud illos octo hæredes, qui præsentarunt Cajum, & de præsentatione illorum duorum, qui præsentarunt Titium non est curandum, cum factum à majori parte perindè habetur ac si omnes egissent, *Roch. de Curt. de jurepatr. verb. Ipse, vel is num.6. Lambertin. eodem tract. lib.1. par.2. quæst.1. artic.25. num.12. versio. Idem dicit ipse, Cassador. decis.2. de jurepatr. per tot. Vivian. de jurepatr. lib.12. cap.8. num.4. & seqq.*

8 Sed ad hoc, ut hæredes unius ex Patronis faciant majorem partem, & perficiant vocem, est necessè, quod sit major pars simpliciter, & non comparatione minorum. Si enim sint decem hæredes unius ex Patronis, & quatuor dirigant eorum vota ad unum, tres verò ad alterum, & alii tres ad alium, neutra præsentatio valeret, quia quamvis illi quatuor faciant majorem partem comparatione minorum, non faciant integram vocem illius Patroni, cui sunt hæredes, sed est necessè, quod saltèm sint sex, quia sex faciunt majorem partem simpliciter omnium hæredum, & in hoc casu, ut præsentatio perficiatur, dicit *Lambertin. ubi supra num.18. versio. Ego dicerem*, licere alteri parti illarum minorum partium, & sic illorum trium accedere ad majorem, idem probat *Roch. de Curt. ubi supra num.6.*

### ARGUMENTUM.

Quando Fundator relinquit Juspatronatus proximioribus, non in genere, sed specialiter duobus disjungendo idem Juspatronatus in duas voces, tunc præsentatio facienda est per illos duos tantum, & per stirpes.

### SUMMARIUM.

- 1 Relicto jurepatronatus proximioribus non jure hæreditario, sed jure legati, omnes proximiores in æquali gradu veniunt in capita.
- 2 Juspatronatus gentilitium defertur in capita, & non in stirpes, sed intellige, ut num.6.

Præ-

- 3 *Præsentatus à majori parte Patronorum est præferendus, & gratificandus.*  
 4 *Ubi juspatronatus competit duobus, quomodo voces computentur in stirpes, aut in capita?*  
 5 *Observantia derivans ex facto Testatoris, & proxima fundationi est attendenda.*  
 7 *In juspatronatus lineali successio fit in stirpes, & non in capita.*  
 8 *Fundator quando dicatur noluisse juspatronatus residere in sua Familia per modum Collegii, & num. 9. 10. & 11.*  
 12 *Juspatronatus quoad proprietatem potest residere equaliter, & in capita in omnibus de Familia, exercitium autem per stirpes.*

## C A S U S II.

**F**undavit quidam pius Testator Beneficium in quadam Ecclesia cum reservatione Juspatronatus passivi favore duorum proximiorum, & in Patronos nominavit Titium, & Cajum æquè proximiores, qui in prima vacatione Beneficii suam expleverunt præsentationem, vacato Beneficio; defunctis Titio, & Cajo, ac relictis post se quam pluribus filiis, nimirum relictis à Titio filiis A. B. C. D., & Cajo filiis E. & F.; filii A. & E. æquè proximiores præsentarunt ad illud quemdam Clericum idoneum; quo nuper defuncto, & iterum vacato Beneficio, omnes filii Titii A. B. C. D. præsentarunt unum, & omnes filii Caji E. & F. æquè proximiores præsentarunt alterum Clericum; Quæritur proinde quomodo de jure sit regulanda præsentatio, & quis sit in hoc casu instituendus.

- Et videtur, quòd præsentatio ad controversum Beneficium fit facienda per capita, itaut unusquisque filiorum tam Titii, quam Caji proximiorum in eodem gradu præfati Testatoris habeat pro virili suam  
 1 *vocem; dum Testator reliquit Juspatronatus proximioribus non jure hæreditario, sed jure legati, quo casu omnes proximiores in æquali gradu veniunt in capita, juxta consil. Alexand. de Nævo consil. 63. num. 3., Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. primo num. 71. versic. dubium erat. Ea ratione, quia hujusmodi Juspatronatus videtur esse gentilitium, in quo omnes, qui eodem gradu sunt proximiores suc-*  
 2 *cedunt in capita, & non in stirpes, ut docent Spada consil. 9. num. 4. lib. 3., Gabriel. consil. 196. num. 4. lib. 2., Lotter. de rebenef. lib. 2. quest. 11. num. 123., Capon. discept. 233. num. 9. tom. 4. & discept. 72. numero 13. tom. 2., Tondut. quest. Benef. 32. nu. 4. to. 1., Rot. decis. 289. num. 4. par. 5.*  
 3 *Rec. & decis. 46. num. 5. coram Priolo. Ac proindè cum quatuor filii Titii, & duo filii Caji sint in æquali gradu proximiores Testatori, unusquisque ex illis habet pro virili propriam vocem, ex quo sequitur, quod Clericus præsentatus à quatuor filiis Titii præsentatus dicatur à majori parte Patronorum, adeòque est præferendus alteri Clerico præsentato à duobus filiis Caji, juxta dispositionem Canon. III. de quo supra Par. II., ibique Innocent. Abb. Butr., Bero, Gonzal. & Fagnan., alii- que Doctores ibi relat.*  
 4 *His tamen non obstantibus cenfeo præsentationem, & nominationem ad præsens Beneficium esse faciendam, & regulandam in stirpes, & non in capita; Testator namque non reliquit Juspatronatus proximioribus suis in genere, & per modum Collegii, & Universitatis, sed reliquit illud specialiter duobus proximioribus disjungendo idem Juspatronatus, seu ejus exercitium in duas voces, unam favore Titii, & alteram favore Caji, & constituendo Juspatronatus lineale; unde filii Titii licet ad efformandam hujus lineam, & vocem concurrere possint in capita; tamen comparativè ad lineam, seu vocem Caji concurrere debent in stirpes, itaut tantam vocem habere dicantur illi quatuor filii Titii, quantam habent illi duo filii Caji, & consequenter præsentatus à filiis Titii non dicitur præsentatus à majori parte Patronorum, sed esse in paritate vocum cum præsentato à filiis Caji, Cardin. de Luc. de jurepatr. discurs. 32. num. 2. & disc. 33. num. 2., Gratian. discept. forens. 521. num. 14., Tondut. quest. Benefic. cap. 32. numero 6. tom. primo, & capit. 157. numero 3. tom. 2., Rot. decis. 294. num. 27. par. 14. Recent., & in Alexanen. Beneficii 11. Aprilis 1712. §. Sivè, coram R.P.D. Aldrovando inferiùs legen.*  
 5 *Quod demonstravit etiam subsequente observantia, quæ de plano militare videtur pro exclusionem simultaneæ præsentatio-*

cedunt in capita, & non in stirpes, ut docent Spada consil. 9. num. 4. lib. 3., Gabriel. consil. 196. num. 4. lib. 2., Lotter. de rebenef. lib. 2. quest. 11. num. 123., Capon. discept. 233. num. 9. tom. 4. & discept. 72. numero 13. tom. 2., Tondut. quest. Benef. 32. nu. 4. to. 1., Rot. decis. 289. num. 4. par. 5.  
 3 *Rec. & decis. 46. num. 5. coram Priolo. Ac proindè cum quatuor filii Titii, & duo filii Caji sint in æquali gradu proximiores Testatori, unusquisque ex illis habet pro virili propriam vocem, ex quo sequitur, quod Clericus præsentatus à quatuor filiis Titii præsentatus dicatur à majori parte Patronorum, adeòque est præferendus alteri Clerico præsentato à duobus filiis Caji, juxta dispositionem Canon. III. de quo supra Par. II., ibique Innocent. Abb. Butr., Bero, Gonzal. & Fagnan., alii- que Doctores ibi relat.*

4 *His tamen non obstantibus cenfeo præsentationem, & nominationem ad præsens Beneficium esse faciendam, & regulandam in stirpes, & non in capita; Testator namque non reliquit Juspatronatus proximioribus suis in genere, & per modum Collegii, & Universitatis, sed reliquit illud specialiter duobus proximioribus disjungendo idem Juspatronatus, seu ejus exercitium in duas voces, unam favore Titii, & alteram favore Caji, & constituendo Juspatronatus lineale; unde filii Titii licet ad efformandam hujus lineam, & vocem concurrere possint in capita; tamen comparativè ad lineam, seu vocem Caji concurrere debent in stirpes, itaut tantam vocem habere dicantur illi quatuor filii Titii, quantam habent illi duo filii Caji, & consequenter præsentatus à filiis Titii non dicitur præsentatus à majori parte Patronorum, sed esse in paritate vocum cum præsentato à filiis Caji, Cardin. de Luc. de jurepatr. discurs. 32. num. 2. & disc. 33. num. 2., Gratian. discept. forens. 521. num. 14., Tondut. quest. Benefic. cap. 32. numero 6. tom. primo, & capit. 157. numero 3. tom. 2., Rot. decis. 294. num. 27. par. 14. Recent., & in Alexanen. Beneficii 11. Aprilis 1712. §. Sivè, coram R.P.D. Aldrovando inferiùs legen.*

5 *Quod demonstravit etiam subsequente observantia, quæ de plano militare videtur pro exclusionem simultaneæ præsentatio-*

tatio.

rationis in capita; dum ex ipso facto Testatoris, habetur quod is in prima provisione Beneficii præsentationem fieri, & expleri mandavit per Titium pro una voce, & per Cajum pro altera voce, qui præsentarunt cum subsequuto effectu; In secunda etiam provisione proxima antecedenti præsentatio facta fuit per stirpes, & non per capita, dum in ipsa non præsentarunt omnes filii Titii, nec omnes filii Cajii. Hujusmodi autem observantia tamquam derivans ex facto Testatoris, & tamquam proxima foundationi nimium attendenda venit; & ad normam illius prædicandum est etiam in prædicti provisione ejusdem Beneficii, *Card. de Luc. de jurepatr. disc. 60. num. 10., Caren. resol. 10. numero 3., Gratian. discept. 521. num. 20., Capon. discept. 233. num. 13. tom. 4., Rot. decis. 26. num. 14. & seq. coram Ottobon. & decis. 679. num. 8. coram Buratt.*

6 Non obstat quòd in Jurepatronatus gentilitio, jus præsentandi devolvi solet in capita, & non in stirpes: hoc namque procedit, quando Juspatronatus relictum fuit proximioribus in genere, ac venientibus ad actum præsentationis per speciem Collegii, & Universitatis, aut quando fuit concessum pro qualibet Familia, tunc enim censetur facta concessio in capita, & non in stirpes, *Capon. disceptat. 233. num. 12. tom. 4., Tondut. quest. Benef. 32. num. 14. tom. primo*; Secus verò quando relictum fuit non per modum Collegii, & Universitatis; sed specialiter duobus, tunc præsentatio facienda est per illos duos tantum, & per stirpes, *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 11. num. 127., & expressè docent R. P. D. Ansaldo. dec. 52. num. 24. & seqq., idem Tondut. ubi supra num. 15.*

R. P. D. ALDROVANDO

Alexanen. Beneficii.

Luna 11. Aprilis 1712.

O bnta per Franciscum nova Audientia adversus Decisionem coram Me emanatam sub die 11. Decembris 1711., in qua fuit resolutum non intrare arbitrium pro retardanda executione literis Apostolicis pro Præsentato cum derogatione medietati vocum ab Ignatio

Pars IV.

reportatis hodie illo non comparente Domini non ambigerunt permanere in decisis.

7 Sive enim agatur de Jurepatronatus gentilitio lineali, sive etiam mixto semper subsistit fundamentum Decisionis, Ignatium fuisse præsentatum à medietate Patronorum, prout Sanctissimo Domino Nostro expressit, quia in Jurepatronatus utriusque relatæ speciei successio fit in stirpes, non autem in capita, itaut tantam vocem habeat Ignatius descendens à Josepho filio primogenito Angeli Seraphini Fundatoris, qui eundem Ignatium fratrem præsentavit, quantam habent quatuor descendentes à Thoma alio ejusdem Fundatoris filio secundogenito, qui præsentaverunt dictum Franciscum, ex adductis in præterita Decisione §. *Quocirca cum seq. & §. Caterum*, & nuper in *Matberanen. Parochialis super pertinentia jurispatronatus 11. Januarii currentis anni §. Et tertium coram R. P. D. meo Falconerio.*

8 Absque eo quòd relevare possit Fundatorem in proœmio Codicillorum expressisse suam voluntatem instituendi Ecclesiasticum Beneficium *de jurepatronatus Laicorum della Famiglia d'esso Testatore*, & idcirco versetur potius in Jurepatronatus familiari pro tota Familia in genere per modum unius Collegii consideratæ, in quo omnes non attenda linea præsentant in capita, prout facit unumquodque Collegium, & Universitas unicam habens vocem indivisibilem.

9 Præfata namque generalitas familiæ in superiori parte proœmiali expressa, fuit subindè per Fundatorem declarata in parte dispositiva, ubi ipse manifestavit, quod sub nomine suæ familiæ intellexit de suis filiis, eorumque hæredum, & successorum, quibus in perpetuum reliquit jus nominandi, ibi -- *Il jus eligendi sia, & habbia da essere delli altri suoi Figli, & Eredi, e di detto Chierico Alessandro, & Eredi, e successori di quelli* -- & ideo per hanc specialem declarationem, & expressionem personarum explicata remansit antecedens generalitas, ad *Text. in cap. Pastoralis §. Quoniam de rescript. & in cap. gener. 34. de reg. jur. in 6. & leg. Sanctio ff. de pænis, Menoch. conf. 141. num. 26., Mantica. de tacit. lib. 6. tit. 16. num. 4., & 5.*

F

Adeout



Adeout jus nominandi distinctè, & divi-  
sim relictum fuisse censeatur unicuique  
ex filiis pro sua virili, & æquali portione  
ad eorum cujuslibet lineas postmodum  
deferenda, ut optimè probant allegati in  
*decif. quæ revidetur S. Ignatium.*

- 10 Nec subsistere videbatur id, quod rur-  
sus objiciebatur in Memoriali pro nova  
Audientia, quod nimirum talis subse-  
quens expressio suorum filiorum adjecta  
fuerit ad excludendos extraneos eandem  
Familia nuncupationem habentes, & jus  
nominandi restringendum ad descenden-  
tes suos; non autem ad effectum ut Jus-  
patronatus non resideret in sua Familia  
per modum unius Collegii considerata;  
placuit enim Dominis responsio præteri-  
tæ Decisionis §. *Non attento*, quod hoc  
potuisset forsan animadversionem pro-  
mereri si Fundator vocasset in dicta parte  
procemiali totam Familiam in genere, in  
quibus terminis loquitur *Card. de Luc. de*  
*jurepatr. disc. 54. num. 7. & 8.*; secus au-  
tem in præsentis casu, in quo vocationem  
restrinxerat ad suam Familiam effectivam  
per illa verba -- *Famiglia di esso Testatore*--  
quæ cum præferant exclusionem illo-  
rum de Familia contentiva, & inclusio-  
nem descendentium ab eo dumtaxat, in-  
dè sequitur, quod successiva filiorum suo-  
rum suorum expressio ad alium finem fa-  
cta dici nequeat quàm ad effectum divi-  
dendi exercitium Jurispatronatus pro nu-  
mero suorum filiorum, pluraque corpora  
distincta inter eorum lineas, & descen-  
dentias constituendi, ad hoc ut in vaca-  
tionibus quælibet linea, & descendentia  
haberet suam vocem, in electione Cap-  
pellani, aliàs dicendum foret Fundato-  
rem otiosè, & inutiliter repetere voluif-  
se quidquid satis superque præcedenter  
iam explicaverat, quando potius ea faci-  
enda est interpretatio, quod nullum  
verbum sine operatione, & effectu stare  
debeat, *Rot. coram Gregor. decif. 424. nu-*  
*mero 6.*, *Priol. decif. 229. num. 10.*, *Pam-*  
*phil. decif. 530. num. 2.*, & *in Rec. dec. 112.*  
*num. 11. par. 6.*, & *decif. 354. num. 35.*  
*par. 11.*

- 11 Quæ sanè intelligentia eò magis am-  
plexa est, quia Testator in ordine ad Fa-  
miliam suam disposuit de proprietate  
ipsius Jurispatronatus, ibi -- *De jurepa-*  
*tronatus della Famiglia di esso*-- in ordine

verò ad suos filios disposuit de simplici  
exercitio, illiusque fructibus consistenti-  
bus in jure nominandi, ibi -- *Il jus eligen-*  
*di sia delli suoi figli*-- Unde ab eo, quod  
præfert dispositio circa Jurispatronatus  
proprietaem, trahi non potest argumen-  
tum ad aliam diversam, & subsequentem  
dispositionem circa exercitium, & fru-  
ctus Jurispatronatus; cum unus possit sta-  
re sine altero, quodque ad unum pertineat  
jus præsentandi, seu nominandi, alter ve-  
rò habeat Juspatronatus, *Vivian. de jure-*  
*patr. lib. primo cap. 3. num. 31. & lib. 5. ca-*  
*pit. 2. num. 2.*, *Gonzalez ad regul. 8. Cancell.*  
*gloss. 18. num. 92. & gloss. 45. §. 2. num. 27.*  
*& 28.*, *Seraphin. decif. 456. num. 3. & 4.*,  
& *in Rec. decif. 809. num. 13. par. 18.*, &  
12 in specie quod Juspatronatus possit quo-  
ad substantiam, & proprietatem residere  
æqualiter, & in capita in omnibus de Fa-  
milia, exercitium autem per stirpes, seu  
quotas hæreditatis, tradit *Card. de Luc.*  
*de jurepatr. disc. 61. num. 6.*, *Frasso de patro-*  
*nat. reg. tom. 1. cap. 4. num. 61.*, *Rota in*  
*Lauden. Canonicatus 3. Martii 1697. §. In-*  
*dividuitas coram Eminentissimo D. Cardin.*  
*dela Tremoille.*

Et ita approbantes in reliquis DD. fir-  
mata in alia Decisione ad quam remissivè  
se habuerunt altera tantum &c.

#### ARGUMENTUM.

Diviso Jurepatronatus hæreditario  
in plures voces, seu stipites Prin-  
cipales; si unaquæque vox, seu  
stipes Principalis habeat plures  
stipites subalternos, seu plures  
hæredes, & Successores, tunc ad  
hoc ut quis dicatur habere unam  
ex dictis vocibus unius ex stipiti-  
bus Principalibus, requiritur,  
quod omnes stipites subalterni  
stipitis Principalis, aut major  
pars eorum comparatione mino-  
rum partium eum præsentent.

## SUMMARIUM.

- 1 In Jurepatronatus hereditario Patroni heredes succedunt in stirpes, & non in capita.
- 2 Omnes heredes unius Patroni substituuntur in locum unius vocis, & pro singulari Persona habentur.
- 3 Quilibet haeres unius Patroni in juribus processionis, & alimentorum succedit in capita, & non in stirpes.
- 4 Praesentatio facienda per plures stipites subalternos unius ex stipitibus principalibus regulanda venit ad instar praesentationis faciendae per Collegium, aut Universitatem.
- 5 Praesentatio facienda per Collegium, ut dicatur facta, requiritur quod vel omnes, vel major ejus pars praesentent.
- 6 Si stipites subalterni unius stipitis Principalis se dividant in aequales partes nulla praesentatio dicitur conclusa.
- 7 Major pars in uno quoque stipite suffocat, & absorbet minorem. Et num. 8. & 15.
- 9 Renunciatio Universitatem bonorum, cui est annexum juspatronatus si à principio non excipit juspatronatus à dicta Universitate, non potest ex post facto juri quaesito alterius praesudicium inferre.
- 10 Renunciatio jurispatronatus debet esse in implicito statu validitatis, quo usque judicialiter super illius nullitate pronunciatum fuerit.
- 11 Praesentatio facta ante motam litem super jurepatronatus, si lis deperdat, nequit retractari.
- 12 Patronus non praesentans ex ignorantia, pertinentiae jurispatronatus favore sui, nullum praesudicium sibi irrogat.
- 13 Praesentatio facta post renunciationem jurispatronatus est nullius roboris.
- 14 Voces provenientes à diversis stipitibus non sunt conjungibiles.

## CASUS III.

**F**undator cujusdam Beneficii duos sibi instituit haeredes Titium nimirum, & Cajum, divisitque Juspatronatus, seu jus praesentandi in duas voces, quarum unam concessit Titio, alteram Cajo. Titius autem post se tres reliquit haeredes, videlicet A. B. C. & unusquisque horum plures etiam habuit haeredes e. g. A. habuit duos, B. alios duos, & C. quinque.

*Pars IV.*

Cajus vero, unum instituit haerem e. g. D. qui defuncto ab intestato quinque reliquit filios. Vacato Beneficio, quatuor filii D. haereditarii Caii praesentarunt quemdam Sacerdotem; è contra duo haeredes A. praesentarunt unum Clericum; duo haeredes B. praesentarunt alium Clericum; & quinque haeredes C. praesentarunt alterum Clericum, qui etiam fuit praesentatus ab uno ex quinque filiis D., quaeritur an iste praesentatus ab haeredibus C. dicatur praesentatus à majori parte, vel saltè à medietate Patronorum.

Primo aspectu apparet praesentatum ab haeredibus C. esse praesentatum à majori parte Patronorum, cum iste numeret pro se sex voces, quinque nimirum haerem C. & unum ex quinque filiis D., caeteri verò supradicti praesentati numerent pauciores voces, dum duo numerant duas voces pro quolibet, & unus quatuor voces; ex quo sequi videtur quod Praesentatus ab haeredibus C. sit ad exclusionem aliorum praeserendus, & instituendus, juxta dispositionem Canonis III. Par. II., & auctoritates ibi relatas.

At re non in cortice, sed intrinsecè pensata censeo dicendum non verificari Praesentatum ab haeredibus C. esse praesentatum à majori parte Patronorum, imò existimo eum nullatenus Praesentatum, nec ullam vocem pro se numerare posse; Quoniam Juspatronatus ad controversum Beneficium cum sit haereditarium, & divisum in duas voces delatas in duos Patronos Originarios nempe Titium, & Cajum, sequitur quod haeredes uniuscujusque ex dictis Patronis succedent in stirpes, & non in capita, ut disponitur ab hoc Canone; itaut ad hoc ut quis dicatur praesentatus requiritur quòd habeat omnia, vel majorem partem suffragiorum haerem unius ex dictis Patronis.

Reflectendo autem ad singulas ex dictis vocibus clarè apparet Clericum Praesentatum ab haeredibus C. non habere vocem Titii; ista enim vox repraesentatur à tribus ejus haeredibus, seu successoribus, seu à tribus stipitibus subalternis; nempe à duobus haeredibus A. pro uno, à duobus haeredibus B. pro altero, & à quinque haeredibus C. pro tertio. Ex istis autem stipitibus subalternis solum ille C., seu solum haeredes C. praesentarunt

F 2 hunc

hunc Clericum, alii verò duo stipites, nimirum hæredes A. præsentarunt alium, & hæredes B. præsentarunt alterum Clericum; ac proinde Clericus præsentatus ab hæredibus C. pro se numerare non potest vocem Titii.

Inconcussa est enim in jure propositio, & à Doctoribus, & Sacra Rota firmata, quod quando Juspatronatus hæreditarium est divisum in plures voces, seu stipites Principales, & unaquæque vox, seu stipes Principalis habet plures stipites subalternos, seu plures hæredes, & successores, tunc ad hoc ut quis dicatur habere unam ex dictis vocibus, unius ex stipitibus Principalibus, requiritur, quod omnes stipites subalterni, seu omnes hæredes, & successores stipitis Principalis, aut major pars eorum comparatione minorum partium, eum præsentent. Ratio est, quia cum omnes isti stipites subalterni, seu omnes hæredes, & successores stipitis Principalis substituuntur in locum unius vocis, seu unius ex Compatronis, omnis numerus eorum pro singulari persona habetur, & licet quilibet ex illis habeat vocem omnium, tamen voces in simul collectivè, vel major pars eorum, producit integram vocem stipitis Principalis; ad differentiam jurium Processionis, alimentationis, & defensionis debitorum Patronis, & hæredibus eorum, quæ possunt, & debent producere suum effectum distributivè, & sunt penès quemlibet eorum insolidum, & in capita, ut docent *Lap. in Clemen. Plures de jurepatr. n. 1. & seqq. ibiq; Vitalin. n. 1. 25. & 42., Zabarell. n. 3., Imol. uum. 7., Ancharan. num. 2., Lambertin. de jurepatr. art. 25. quest. prima par. 2. lib. primo num. 13., Rota decis. 394. num. 1. & 2. coram Merlin., & in terminis in Lunen. Sarzanen. Cappellania 18. Aprilis 1687. §. Que servanda coram R. P. D. Heruvavult, ibi -- Nunquam enim se junctim, consideranda sunt portiones prima illius vocis, quæ in stipitibus subalternis, veluti in transitu vagantur, sed tanquam ad terminum cumulativè referrì debent ad principalem vocem representatam, eadem in violabiliter in ea efformanda, servata proportione respectu Partium, quæ servatur respectu totius in eo consistens, quod sicuti habens tres ex quatuor stipitibus subalternis, totam vocem stipitis Principalis habere dicitur, sic*

*etiam sufficiat habere majorem partem cujuslibet illorum, ut tota vox subalterni stipitis representetur -- novissimè confirmata in Firmana Beneficiorum. 19. Januarii 1711. §. final. coram R. P. D. Lancetta inferius legen. num. 7.*

4 Itaut præsentatio ista faciendâ per plures stipites subalternos unius ex stipitibus Principalibus, seu per plures hæredes, & successores unius ex Compatronis regulanda veniat ad instar præsentationis faciendæ per Collegium, aut Universitatem; sicuti enim præsentatio faciendâ per Collegium, aut Universitatem, ut dicatur facta requiritur, quod vel omnes, vel saltèm major pars illius præsentent, eo quia omnes de Collegio, vel saltèm major pars illius representant Collegium tanquam unam personam, aliàs si scindatur in partes æquales, neutra pars representat totalitatem, sui ipsius, nec ulla præsentatio dicitur facta, aut conclusa à Collegio, aut Universitate, ut plenè dixi superius *Par. I. Can. V. Caf. VII. num. 8.*; Ita ad hoc ut præsentatio faciendâ per plures stipites subalternos unius stipitis Principalis, seu per plures hæredes, & successores unius ex Compatronis, cum isti omnes hæredes, & successores representant unam vocem Principalem unius ex Compatronis, ad hoc ut dicatur facta, requiritur, quod omnes, vel saltèm major pars eorum præsentent, adeo ut si stipites subalterni se dividerent in æquales partes, nulla præsentatio diceretur conclusa, ad *Text. in cap. 1. de his, quæ sunt à major. part. Capit., Abb. in cap. Postulassis nu. 14. de concess. præben., Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 2. quest. 3. art. 6. num. 2. in fine, Card. de Luca de Benefic. disc. 3. nu. 3., Garz. de Benefic. par. 5. cap. 4. num. 28., Rot. decis. 148. nu. 10. apud Vivian. de jurepatr.*

Propter eandem rationem idem Clericus præsentatus ab hæredibus C. habere non potest vocem Caji, quia cum ipse fuerit præsentatus solum ab uno ex quinque filiis D. hæredis ejusdem Caji, ceteri verò quatuor præsentaverint supradictum Sacerdotem; iste dicitur habere totam vocem Caji, non verò idem Clericus, dum major pars in unoquoque stipite suffocet, & absorbeat minorem, *Imol. in hoc Canone num. 7., Lambertin. de jurepatron. par. 2.*

par. 2. lib. primo quæst. prima art. 25. nu. 13. & seqq., Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 11. num. 135., & alii apud Rot. in sequenti Decisione §. final. ; Et consequenter in hoc casu instituendus venit præfatus Sacerdos, qui solus in hac vacatione dicitur legitimè præsentatus, & nullatenus supradictus Clericus.

R. P. D. LANCETTA

Firmana Beneficiorum.

Luna 19. Januarii 1711.

**T**riangularis quæstio exorta inter Xaverium Matthæuccium, Gregorium Morronum, ac Nicolaum Calvuccium super adjudicatione Beneficii de Jurepatronatus laicali decisa fuit coram Me sub diebus 3. Junii 1709. & 6. dicti mensis 1710. favore Matthæuccii, eoque instante pro expeditione, placuit Dominis illam denegare respectu Calvuccii, quem iterum audiri demandarunt: Hinc reposita hodie causa, licet iste propria jura pleniori calamo deduxerit. Nihilominus visa fuerunt insubstantia, eo quia re-assumpto vocum examine agniti sunt, majorem illarum partem assistere eidem Matthæuccio, & propterea steterunt in decisis.

Retento enim, quod Juspatronatus in suo primordio fuit in tres voces divisum, scilicet in Peregrinum, Federicum, atque Bonfilium, qui in Testamento portionem ad se spectantem reliquit Marchetto, & Rodulpho filiis Federici, itaut in istis consolidata fuerint duæ voces, illa nempe Testatoris prædicti, ac alia Federici Patris; Verùm quia jus Rodulphi fuit consolidatum in Auctores, qui præsentarunt Morronum jam exclusum, ex quo unicum vocem tantum haberet, tota quæstio iterum redacta fuit ad dignoscendum quis in hodiernis Colligantibus majorem partem vocum pro se numeraret.

Et sanè non fuit controversia inter Partes, quod non solum vox Marchetti in Honuphrium devenerit, sed etiam dimidia vocis Peregrini ex donatione Urie-  
lis ejus Nepotis, quo proposito benè sequitur, quod Xaverius habeat unam vocem cum dimidia tanquam præsentatus ab hiis, qui Honuphrio successerunt.

Istudque assumptum satis visum fuit probari ex eo, quod dictus Honuphrius prole destitutus tres ejus sorores, Eugeni-  
am videlicet, Comitissam, ac Nicolosam scripsit hæredes, inter quas Juspatronatus fratri competens pro æquali  
portione divisum extitit, sed postmodum occasione ingressus in Religionem, Eugenia renunciantè omnia sua bona, & jura fororibus, integra renunciantis portio pervenit ad dictam Comitissam dumtaxat, ut infra probabitur, adeò ut ex tribus partibus Nicolosa unam solam habuerit.

Præfatas autem duas portiones spectantes ad Comitissam nuptam Matthæuccio nactæ fuerunt ab intestato succedentes Clarix, Catharina, & Maria Diana tres ejus filia, quarum primæ occasione dotis ipsismet à patre assignatæ; ultima verò occasione ingressus in Religionem renunciarunt omnia sua bona, ac jura tam favore patris, quàm Julii Cæsaris fratris consanguinei ex alio matrimonio procreati, ex quibus utique satis clarè constare visum fuit Dominis, Xaverium præsentatum à supradicto Julio Cæsare habere vocem Marchetti, & dimidiam Peregrini, prout in Honuphrio residebat, sicque majorem partem vocum comparativè etiam ad Calvuccium.

Quod rectè procedit etiam si ille enumeret pro se eam tertiam partem vocis pertinentis ad Nicolosam, à cujus hærede fuit præsentatus, quia cum in computatione istius vocis agatur inter descendentes ejusdem stirpis, ac lineæ, urget ratio, quod vox proveniens à Nicolosa non sit consideranda; Nam remanet suffocata; & absorpta ab aliis duabus partibus constituentibus majorem partem in Honuphrio residentem perindè ac si dicta altera tertia pars in rerum natura haud existeret, ut præter adductos in ultima Decisione hujus causæ §. Et hac adeò, tradunt Lotther. de re benef. lib. 2. quæst. 11. num. 136. Vivian. de jurepatron. par. 2. lib. 12. cap. 8. num. 1. & 4.

Nec obstat, quod Nicolosa habere quoque debeat medietatem juris competentis Honuphrio, ex quo Eugenia suam vocis portionem ipsi pariter renunciaverit; quoniam renunciatio legitur qui-

quidem favore utriusque sororis, sed tamen conditionaliter præfixo, scilicet termino 15. dierum Renunciariis ad emittendam declarationem se paratas esse subire onera, ac solvere debita ejusdem; addito itidem, quòd in casu non factæ declarationis totum jus accresceret alteri.

Unde si præfata Nicolosa de hujusmodi conditionata renunciatione fuit, mediante judiciali intimatione, & quidem personali certiorata, atque ea non obstante requisitam declarationem neglexit emittere, utique ob non adimpletam conditionem à sua potestate dependentem factus fuit locus juri accrescendi favore Comitissæ, ut latè apud *Mans. consulti. 101. num. 11. & seqq. Rota decis. 462. num. 1. par. 19. recent. tom. 2.* cum ista revera ad præscriptum sororis renunciantis omnia acceptaverit, ac semper onera persolvens successivis temporibus omnia ejus bona possederit, necnon cum bonis jurispatronatus ipsis de sui natura adhærens, *Rota in Melewitana jurispatronatus 5. Julii 1696. §. Adeoque, & §. Minusque; & in illius confirmatoria 5. Junii 1697. §. Sed hoc objectum, coram Reverendissimo meo Decano.* Minimè attentata contraria declaratione modernis temporibus facta ab Eugenia, quia si à principio non excepit juspatronatus ab universitate bonorum, non potuit ex post facto juri quæsito alterius præjudicium inferre, ex ponderatis per *Rotam decis. 323. num. 14. par. 16. & decisione 317. num. 35. par. 18. recent. tom. 1.*

Non relevante replicatione, quòd interpellatio ad acceptandum, & declarandum facta fuerit Nicolosæ per Procuratorem Eugenix, de cujus mandato non constat, & quòd non probato dolo ejusdem, nec accedente sententia Judicis super caducitate, illam, haud quaquam potuerit incurere. Dixerunt etenim Domini; quod cum ex parte Nicolosæ sit incontrovertibilis scientia dictæ conditionalis renunciationis, eo quia ad ejus notitiam judicialiter deducta fuit, mediante interpellatione ad acceptandum sub lege apposita à Renunciante cum indicatione ulterius diei, anni, atque Notarii, qui Instrumentum confecerat; & quod plus est, cum Instrumenti actuali exhibitione,

ac production, indè sequitur, quòd non sit curandum, si non exhibetur mandatum procuræ Eugenix, tam ex lapsu tot annorum initium desumente ab anno 1652. quàm ex dicta jurium productione præsumendum, ut de prima conclusione *Rota coram Emerix jun. decis. 1264. num. 3. & de secunda Adden. ad Pampbil. decis. 684. num. 14. & 17. & quod nec etiam sit assumenda quæstio de dolo, vel expectanda sententia Judicis, quando totum fundamentum sistit in eo, quod deficiat conditio, sinè cujus purificatione nullo modo poterat Nicolosa jus acquirere, ut præter supra adductos in §. Unde si notant, Paris. cons. 8. num. 17. & seq. lib. 3. & Cravetti. cons. 170. num. 8.*

Hinc recurri nequit ad subsidiarium remedium restitutionis in integrum, quòd asserbatur competere posse Nicolosæ adversus non emissam declarationem intra tempus ab Eugenia præfinitum. Etenim illud non est allegabile, nisi post obtentam ipsam restitutionem, & interim Julius Cæsar in jurium suorum exercitio impediri non debet. Maximè cum res in præsentem non sit amplius integra, *Odd. de restit. in integrum par. 1. quæst. 43. artic. 1. num. 40. Gratian. discept. forens. 767. n. 45. & seq.*

Prout identidem Domini noluerunt attendere quidquid deducebatur contra renunciationes emissas à Clarice, & Catharina illas in primis uti nullas impugnando ob causæ falsitatem, atque ulterius redarguendo de ineffectuatione; quoniam quod attinet ad nullitatem nimis evidens putarunt, hanc esse non posse præsentis inspectionis, utpotè quia sunt, & esse debent in implicito statu validitatis, quousque judicialiter super illarum nullitate pronunciatum fuerit, plenè *Rot. in Tuden. Parochialis 9. Junii 1700. §. Ad effectum enim, coram R. P. D. meo dell'Olmo, & in Melewitana jurispatronatus 31. Martii 1702. §. Minusque, coram R. P. D. meo Scotto.*

Eoque fortiùs quia de præsentem pendet coram A. C. judicium intentatum, super dicta nullitate, adeout proindè debeat expectari terminatio illius judicii per tres conformes. Nec interim est in hoc diverso judicio de ea cognoscendum ex iis, quæ notantur per *Angel. cons. 138.*

fl. 138. num. 2. *Rota decis. 199. num. 10. & seq. par. 16. recent.* Accedente potissimum alia animadversione, quod etiam si declararentur nullæ renunciaciones, adhuc id minimè deservire posset pro destruenda præsentatione facta in personam Xaverii, quidquid dicendum esset pro futuris vacationibus, cum illa fuerit expleta priusquam lis promoveretur, sicque cum bona fide, quæ si eveniente casu, valebit eximere Julium Cæsarem à restitutione fructuum perceptorum, antequam lis introduceretur pari ratione nequit retractari præsentatio, quam ad hunc effectum in fructu juris patronatus existere non dubitatur, ut post *Calderin. conf. 19. in fine, de jurepatr. & Vivian. eod. tract. lib. 5. cap. 2. num. 3.* firmavit *Rota* in allegata *Tuden. Parochialis 9. Junii 1700. §. Ad effectum enim, coram R. P. D. meo dell'Olmo.*

Quo verò ad ineffectuationem renunciacionum desumptam, ex quo Clarix, & Catharina de anno 1687. præsentaverint, cessare visa fuit ex facto; nam possessio omnium bonorum in renunciacionibus comprehensorum à die renunciacionis ad hæc tempora, & sic spatio 40. circiter annorum semper pacificè, & sine controversia permanit penes renunciarios, adeout nequeat de effectuacione dubitari, *Rota decis. 494. n. 16. par. 19. recent.* ubi concordantes.

In nihilo attento, quod Julius Cæsar in dicta ultima vacatione non præsentaverit; id enim minimè evenit, quia non haberet jus præsentandi, sed ex quo eadem haud innotuerit jus patronatus sibi competere vigore renunciacionum illud expressè non præferentium, itaut ex tali ignorantia nullum præjudicium eidem potuerit irrogari, *Rota coram Emerix jun. decis. 1320. num. 13. & in recent. decis. 273. num. 13. cum seqq. & in Romana Beneficii 20. Martii 1699. §. Nec refragatur, coram R. P. D. meo dell'Olmo.* Et satis sit tunc temporis præsentasse Joannem Antonium Calvuccium alium compatronum, nè Julius Cæsar dicatur amisisse jus præsentandi; nam ubi sunt plures compatroni, isti quoad actum præsentationis dicuntur confocii, & nisi unus, vel aliqui præsentent animo privandi, & spoliandi alium, qui sciat, & acquiescat, semper jus istius est præservatum, ut est omnium

Doctorum, & Tribunalium opinio, de qua apud *Rot. in Mediolanen. Prioratus 11. Decembris 1699. §. Idque ex ea, coram Reverendiss. meo Decano, & in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. Secundus assurgit casus, cum seq. coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Tandem non obstat, quod assistat dd. Sororibus ultimus status omnino in beneficalibus, attendendus ex vulgato *Text. in cap. Consultationibus, de jurepatr.* eò quia de anno 1687. præsentaverint; Nam cum id fuerit gestum, postquam renunciaverant propria jura favore Concepti patris, & Julii Cæsaris fratris, dictæ præsentationes sunt actus spoliativi, & consequenter nullius roboris, invalidi, & non considerandi, *Rota* in citata *Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. Eoque certius, coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Itaut ex istis non valeat aliquis status firmari ad effectum admittendi canonicam sanctionem præallegati *Text. in cap. Consultationibus*, quæ licet faveat ultimo statui, tamen non procedit, quando incontinenti constat, illum, ut in præsentii hypothesi esse infectum, & quidem non per conjecturas, ac præsumptiones, sed per publica documenta renunciacionum, quæ sunt tanti roboris, & efficaciam, ut faciant probationem probatam, atque manifestam, necnon possessorium absorbent, quousque declarentur nulla, & insubsistentia, *Rota* in dicta *Tuden. Parochialis 9. Junii 1700. §. Sentiebant, & §. Siquidem, coram R. P. D. meo dell'Olmo, & in Pennen. Beneficii super pertinentia 17. Martii 1710. §. Sed hic non sistit, coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Ulteriùs apud Dominos in nulla fuit consideratione, quod in *decisione coram bonæ mem. Manuel sub die 19. Junii 1693. §. final.* edita occasione ultimi status, dictum fuerit, Claricem, & Catharinam esse exclusas à statuto firmant propter agnatos, adeout censeri debeant istæ exclusæ à jure patronatus, & per consequens illud nec potuerint cedere, vel renunciare. Quandoquidem rectè patet id potius ad quamdam exuberantem rationem, & perfunctoriè insinuatum; Nam si decisio se fundasset in statutaria exclusionem nec potuisset admittere præsentationem Joannis Antonii Calvuccii uti ve-

venientis jure Nicolosæ, quæ pariter exclusa remansisset à statuto, ultra quod nec præfatus Joannes Antonius potuisset excludere Claricem, & Catharinam vigore statuti, quod utpotè conditum favore dumtaxat agnatorum illum in tali linea minimè existentem comprehendere non poterat, cum de casu ad casum in hac materia nulla detur extensio, quoties excludere volens non sit inclusus in statuto, ut omissis aliis novissimè pluribus cumulatis firmavit *Rota in Spoletana Successionis* 17. Februarii 1710. §. Ratio, cum seqq. & signanter §. *Intelligendo, coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Cum itaque ex hæcenus firmatis aperte dignoscatur, quod major pars vocum istius jurispatronatus semper assistit Xaverio, superfluum putarunt Domini disquirere de alia medietate vocis procedente à Peregrino per medium Hippolytæ ejus filiæ. Quoniam, licet dubitari valde posset, an hæc integra medietas stet favore Calvucci, cum in hac jus habere prætendant alii com præsentati, tamen admisso quoque citra alicujus præjudicium, quod ad commodum ejusdem enumerari valeat integra medietas dictæ vocis Peregrini, dixerunt, illum non posse concurrere cum Xaverio, qui habet vocem cum dimidia consolidatam in Honuphrio, ut supra probatum fuit, subdentes solummodò pro coronide, quod Calvuccius neutiquam valet conjungere hanc dimidiam vocis Peregrini cum altera tertia parte vocis spectantis ad Nicolosam, utpotè quia agatur de vocibus

14 provenientibus à diversis stipitibus, quæ non sunt conjungibiles, cum in unoquoque stipite tantum major pars suffocet,

15 & absorbeat minorem, necnon separatam vocem ab altero stipite constituat, ut in his terminis notant *Lottber. de re benefc. lib. 2. quest. 11. num. 135. Cardin. de Luca de jurepatr. disc. 32. num. 4. & seq. Rota in Lunen. Sarzanen. Cappellania* 18. Aprilis 1687. §. *Quæ servanda, coram Reverendissimo Hervault.*

Et ita utraque parte acerrimè informant, &c.

## ARGUMENTUM.

Patroni duo possunt alternatim præsentare nequaquam verò beneficium secare in duas partes, itaut unus Patronus ad unam, & alius ad aliam partem beneficii præsentet.

## SUMMARIUM.

- 1 Beneficium non patitur sectionem in suis titulis, nisi concurrentibus requisitis, de quibus num. 2.
- 3 Pro extinguenda lite inter Patronos non potest fieri sectio beneficii.

## CASUS IV.

**T**ritius, & Cajus existentes in possessione, seu quasi juris præsentandi respectivè pro medietate ad beneficium sub invocatione S. Mariæ, & S. Benedicti, situm in Ecclesia A, cum occasione vacationum semper controversiæ, gravissimæque lites acciderint, decreverunt proinde ad bonorum beneficialium divisionem in duas partes æquales devenire, ex iisque duo beneficia constituere, alterum sub titulo S. Mariæ, alterum verò S. Benedicti firmo remanente ad favorem unius cujusque ex dictis patronis suo jure præsentandi, preces à Summo Pontifice ad Sacram Congregationem Concilii remissas porrexerunt pro Apostolico beneplacito reportando; inde proposito Dubio -- *An beneplacitum Apostolicum sit concedendum;* negativè respondendum sentiebam, studens apud R. P. D. meum Petra; quia in hoc casu petitur divisio beneficii, quod in suis titulis in integritate conservari debet, nec pati sectionem, juxta *Text. in cap. Majoribus, de præbendis, ibique Conzal. num. 2. Barbos. Lottber. de re benefc. lib. 1. qu. 28. num. 55. & seqq.* Et licet possit aliquando fieri sectio, ut dicitur in *cap. Vacante, de præben.* Tamen debent quatuor concurrere, & præsertim accretio reddituum, & justa causa, *Lambertin. de jurepatron. lib. 2. part. 1. quest. 7. artic. 11. 12. & 17. Fagnan. in cap. Penlatum num. 2. & seqq.* Deficit namque in hoc casu augmentum reddi-

reddituum, & eò minus concurrat iusta causa, quæ debet esse respectu ipsius Ecclesiæ, nempe defectus Ministrorum pro Divino Cultu; & necessitas Ecclesiæ, non autem si causa concurrat tantum pro utilitate Patronorum, etiam si fiat ad dirimendas lites, quia hoc non importat necessitatem Ecclesiæ, ut docuit *Lot. lib. 1. quest. 28. num. 68. Rota in Calaguritana Beneficii de Ariola 14. Maji 1593. coram Giptio*. Eoque magis, quia ut ipsa *Rota* considerat pro extinguenda lite inter Patronos, potest fieri concordia de alternis vicibus presentando, non tamen potest fieri sectio beneficii; unde cum ad sit remedium à jure approbatum, non debet recurri ad sectionem, ab eodem jure improbatam, quæ importat dismembrationem non faciendam, nisi concurrente causa. Et ita resolutum fuit à Sac. Congregatione Concilii in causa *S. Agathe Gothorum Divisionis Tituli Beneficii 15. Junii 1709.*

## ARGUMENTUM.

Diviso Jurepatronatus Mixto per Turnum, si vacatio Beneficii contingat in Turno debito Patrono Ecclesiastico, an intrent Reservationes Apostolicæ.

## SUMMARIUM.

- 1 *Lotterius tuetur Juspatronatus mixtum in turno Ecclesiastici non esse obnoxium Reservationibus Apostolicis.*
- 2 *Contrarium sustinet Garzias.*
- 3 *Sententia Lotterii in theorica licet sit probabilior, in praxi tamen est sequenda sententia Garziaz.*

## CASUS V.

**R**eservatum fuit Juspatronatus Beneficii erecti in quadam Ecclesia Cathedrali pro una voce hæredibus Fundatoris, & pro altera voce Capitulo ejusdem Cathedralis. Convennerunt inter se tam hæredes, quàm Capitulum dividere Juspatronatus per Turnum; seu alternis vicibus presentare, nimirum quòd jus presentandi in prima vacatione spectet ad solos hæredes, & in secunda vacatione

*Pars IV.*

ad solum Capitulum; vacato Beneficio in mense reservato, & in Turno spectante ad Capitulum; Quæritur an illud cadat sub Reservationibus Apostolicis, adeò ut impetrari, & liberè provideri possit à Dataria Apostolica?

1 Quæstio hæc est inter Doctores satis controversa; *Lotterius namque de re benef. lib. 2. quest. 10. num. 98.* erroneum existimat beneficium, in hoc casu cadere sub Reservationibus Apostolicis, ea ratione, quia mixtura hæc qualitatis laicalis, & Ecclesiasticæ non residet in ipso exercitio, & usu presentandi, sed in ipsa proprietate Juspatronatus; unde cum Turnus non dividat hanc proprietatem, quia Juspatronatus quo ad illam est indivisum, ut dixi *Part. II. Can. I. & II. in Comment. & in Caf. I.* sequitur quòd idem Juspatronatus, non obstante Turno, & alternativa inter Patronos laicos, & Ecclesiasticos conventa, semper remaneat mixtum, & consequenter Reservationibus Apostolicis minimè subjectum. *Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 18. num. 12. Rot. coram Cavaler. decis. 604. num. 4. & decis. 1571. num. 4. coram Coccin. & decis. 171. coram Peutingen, & decis. 541. num. 4. & seq. par. 2. rec. & decis. 9. n. 30. coram Ansaldo, & dicam infra suo loco Part. VI., quam sententiam Lotterii approbat Card. de Luc. de Jurepat. disc. 65. num. 34.*

2 *Econtra Garzias de benef. part. 5. cap. 1. S. 2. num. 615., & Moneta de commut. ult. volunt. cap. 10. sub num. 286.* tuentur vacante beneficio in Turno Ecclesiastici illud cadere sub Reservationibus Apostolicis; eo quia Patroni Laici, & Ecclesiastici dividendo Juspatronatus mixtum per Turnum censentur voluisse dividere, & separare qualitatem laicalem ab Ecclesiastica, & in turno Ecclesiastici reddere Juspatronatus totum Ecclesiasticum, & quia cessat in hoc casu ratio præjudicii, ob quam Juspatronatus mixtum non cadit sub generalibus reservationibus, dum nullum præjudicium patitur Patronus Laicus, si in Turno Ecclesiastici beneficium provideatur per Sedem Apostolicam; Quoniam provisio Apostolica consumit in hoc casu Turnum Ecclesiastici, & succedente iterum vacatione beneficii presentatio spectat ad Patronum laicum.

G

laicum.



laicum. *Garz. ubi supra, Vivian. de Jurepat part. 1. lib. 1. cap. 3. num. 18.*

3 Ego verò unà cum *Cardinali de Luca*, ubi supra cenfeo in theorica esse veriorrem, & probabiliorem sententiam *Lottarii*, non solùm quia Turnus non dividit mixturam Jurispatronatus quo ad proprietatem; sed etiam quia presentationes, quas facit Ecclesiasticus in suo Turno, non facit eas jure proprio, & privativo tantum, sed communi etiam nomine Patroni Laici, cum Turnus in substantia nihil aliud importet, nisi quòd unus Patronus in uno Turno presentet personam sibi benè visam de preventivo consensu alterius Compatroni, ac si iste se perpetuò obligasset qualibet vice adherere, & consentire in illam personam, quæ ab altero Patrono pro tempore contigerit presentare.

4 In praxi verò sequenda, & tenenda est sententia *Garzia*, quæ fuit amplexa non solùm ab aliis Doctõribus, nimirum à *Vivian. de Jurepat par. 1. lib. 1. cap. 3. num. 18. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 17.*; sed etiam in Foro à *S. Rota decis. 362. num. 11., & decis. 383. num. 15., & decis. 432. num. 20. coram Priolo, & decis. 9. num. 29. coram R. P. D. Anfaldo.*

#### ARGUMENTUM.

Si Juspatronatus pro una voce spectet ad duas familias, & pro alia voce ad Monasterium Regularium, an duæ Familiæ possint inter se convenire de alternis vicibus presentando sinè consensu Monasterii; Et si fiat transactio super divisione simultaneæ Juris presentandi per Turnum inter Abbatem ejusdem Monasterii, & dictas Familias absque Beneplacito Apostolico, & consensu Monachorum, an ipsa sustineatur, & afficiat Successores.

#### SUMMARIUM.

- 1 Presentatus à majori parte Patronorum venit instituendus; & num. 9.
- 2 Patronus divisionem Juris presentandi per Turnum facere nequit absque consensu alterius Compatroni; & num. 15.
- 3 Patronus presentans in suo Turno cum subsequuto effectu, jus, & vicem suam consumere dicitur.
- 4 Presentatus ab existente in Turno dicitur habere omnium Patronorum voces.
- 5 Alternativa conditionatè inita inter Patronos remanet in suspenso, quousque non superveniat conditio; & num. 11.
- 6 Juspatronatus si pro una voce spectet ad duas Familias, & pro altera ad Monasterium; Duæ Familiæ possunt inter se convenire de alternis vicibus presentando absque consensu Monasterii.
- 7 Transactio, seu concordia alternis vicibus presentandi inita inter Patronum Laicum, & Abbatem Monasterii absque Beneplacito Apostolico, & consensu Monachorum, an sustineatur, & afficiat Successores? Vide ibi, & num. 8.
- 10 Patronus ex ultima presentatione effectuata dicitur constitutus in quasi possessione presentandi.
- 12 Qua sit differentia inter dispositionem modalem, & conditionalem Vide ibi.
- 13 Alternativa cum sit contractus perfici non potest nisi ex mutuo contrahentium consensu.
- 14 Alternativa exigit ut Jus nominandi spectet ad Turnarium, non verò ad Patronum carentem Turno.
- 16 Patronus expleta presentatione non potest quidquam prejudicare Presentato, vel aliquid de ejus juribus diminuere.
- 17 Filius Compatroni in paritate vocum preferatur extraneo.
- 18 Presentatus usurpans propria auctoritate possessionem Beneficii in vim solius nominationis incidit in pœnam Cap. Avaritiæ de elect. in 6. secus si illam apprehendat post Institutionem ab Ordinario reportatam.

#### CASUS VI.

Competit ex lege foundationis Juspatronatus cujusdam Beneficii pro una voce duabus distinctis Familiis, & pro

pro altera voce cuidam Monasterio Regularium. Ista duæ Familiæ unanimiter convenerunt inter se absque tamen consensu dicti Monasterii, alternis vicibus præsentare; nimirum ut prima vice Jus præsentandi pro dicta voce spectaret ad Familiam A, & secunda vice ad Familiam B. Vacato Beneficio illi de Familia A ad formam hujusmodi concordie præsentarunt ad illud unâ cum Regularibus dicti Monasterii idoneum Sacerdotem; per cujus obitum iterum vacato Beneficio, iterum etiam illi de Familia A unâ cum eisdem Regularibus præsentarunt alium Sacerdotem; Econtra illi de Familia B præsentarunt alteram personam idoneam, quæ obtinuit à Summo Pontifice Gratiam pro Præsentato cum derogatione alterius medietatis vocum: Quæritur an hujusmodi Gratia sit exequenda.

Quod non sit exequenda suadere videtur animadversio, quod Præsentatus ab eis de Familia B. obtinuit hanc gratiam, cum falsa expressione, quod fuerit Præsentatus à medietate Patronorum, quando fuit solum Præsentatus ab eis de Familia B; non verò ab his, & ab illis de Familia A, qui unitim constituunt unam ex supradictis vocibus à Fundatore relictis, & medietatem Patronorum, ac proinde tamquam subreptitia executionem minime meretur, sed potius instituendus venit alter Præsentatus, qui cum numeret pro se integram vocem Regularium; & medietatem alterius vocis spectantis ad utramque supradictam Familiam, Præsentatus dicitur à majori parte Patronorum ad *Text. in cap. Quoniam de Jurepat. de quo supra Part. II. Can. III. & alias Auctoritates ibi in Commentario relatas.*

Absque eo, quod subreptio hæc evitari possit ex Alternativa; quoniam ista videtur nulla, quia fuit inita inter præfatas Familias; irrequisito penitus Monasterio, & absque hujus consensu, qui pro validitate actus requirebatur, dum unus ex Compatronis divisionem Juris præsentandi per Turnum facere nequit absque consensu alterius Compatroni juxta *Rocc. de Curt. de Jurepat. verb. Jus num. 11. Rot. in Hispalen. divisionis simultaneæ 4. Junii 1700. S. 1. coram Eminentiss. Priolo, & in Pistorien. Beneficii 27. Martii 1716. Pars IV.*

*S. Alia etiam coram R. P. D. Cerro.*

Sed veritas est in contrarium; subsistit namque quod Præsentatus ab eis de Familia B sit Præsentatus à medietate Patronorum; si quidem cum in concordia facta inter utramque Familiam fuerit conventum, ut vox eis relicta alternis vicibus expleretur, planè consequitur in præsentati vacatione dictam vocem ad Familiam B pertinuisse, cum in proxima præcedenti vacatione illi de Familia A pacificè, & cum effectu præsentando vicem, & jus suum consumpserint. *Urceol. de Transact. quest. 27. num. 4. & seqq. Gratian. discept. 65. à num. 41. ad 45. & num. 74. Rot. decis. 382. num. 28. coram Bieh. & decis. 65. num. 10. coram Orthobon. & in Cracovien. Parochialis 28. Junii 1706. S. De validitate coram bo. me. Molines, & in Gerunden. Jurispatronatus prima Junii 1715. S. Subsistit coram R. P. D. Lancetta;* Et consequenter Præsentatus à Familia B existente in Turno habere dicitur integram utriusque Familiæ vocem juxta *Card. de Luc. de Jurepat. disc. 41. num. 2. Rot. decis. 118. num. 1. part. 18. rec., & in Valentina Beneficii 29. Januar. 1717. S. Siquidem coram R. P. D. Falconerio.*

Neque huic transactioni, & concordie de alternis vicibus præsentando obflare potest defectus consensus Monasterii. Etenim concordia hæc non fuit stipulata inter illos de utraque Familia, & Monasterium; quo casu certò equidem necessarius fuisset consensus Monasterii pro validitate transactionis, ex auctoritatibus superius in contrarium relatis; neque fuit facta inter illos de utraque Familia conditionatè, & sub conditione consensus Monasterii; dummodo videlicet approbaretur à Monasterio, quo casu pariter necessarius fuisset consensus ejusdem Monasterii, qui quousque non superveniret, semper alternativa remaneret in suspenso ut tuetur *S. Rota in Pistorien Beneficii 27. Martii 1716. S. Non inquam cum seq. coram R. P. D. Cerro* hic impressa; Sed fuit dumtaxat inita inter illos de utraque Familia, & pro rata vocis sibi ipsis ex dispositione Fundatoris competentis, firma remanente in quacumque vacatione Beneficii altera voce ad dictum Monasterium spectante, unde non est cur

hujus consensus requiri debeat pro validitate hujusmodi concordie, & transactionis.

Pone casum, quod fiat transactio, & concordia alternis vicibus presentandi inter dictas Familias, & Abbatem prefati Monasterii absque Beneplacito Apostolico, & absque consensu Monachorum; Quæro an illa sustineatur, & afficiat Successores?

- 7 Respondendum cenſeo hujusmodi transactionem non esse nullam ex defectu Beneplaciti Apostolici; quia cum per eam non alienatur à Monasterio proprietas Jurispatronatus, sed solum concedatur usus privatim presentandi dictis Familiis in una vacatione cum certitudine quod etiam ipsum presentaret privatim in altera vacatione, non est necessarium Beneplacitum Apostolicum, quod solum requiritur, quando alienatur ipsa proprietas Jurispatronatus, ut superius notavi *Part. II. Can. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Caf. IV. num. 22.* non verò quando retenta dicta proprietate Monasterium, aut Ecclesia aliquid dat, aut facit. *Vale-ron de Transact. tit. 4. quest. 11. num. 7. Turricell. de reb. Eccles. non alien. cap. 8. num. 17. Rot. decis. 1682. num. 23. coram Coccin. & decis. 48. num. 25. & seq. p. 13. rec.* Neque est nulla ex defectu consensus Monachorum, sed venit annullanda ad horum requisitionem, & instantiam; quia cum Monasterium, cui competit Juspatronatus pro una voce non representetur per solum Abbatem, nec per solos Religiosos, sed per Abbatem simul, & Religiosos, qui simul constituunt totum Monasterium ad *Text. in cap. Novit, & cap. Quanto de his, qua fiunt à Prælatiſ*, non poterat Abbas, de per se absque consensu Monachorum, hanc concordiam, & transactionem stipulare juxta *Text. in cap. Ea noſcitur de his, qua fiunt à Prælat. ibique Doctores omnes*; & si illam stipulaverit, possunt Religiosi contempti de nullitate excipere, juxta *Text. in cap. Quod sicut de Elect. ibique Gloss. in verb. consentire*;
- 8 neque afficere valet Successores in Monasterio, cum Alternativa non afficiat jure proprio vocatos, nisi sit inita ex justa causa, de communi omnium Patronorum consensu, & cum approbatione Ordinarii ad *Text. in cap. De catero, & cap. Veniens*

*de transact. Garz. de Benef. par. 5. cap. 1. num. 721. Rot. decis. 300. num. 2. & seq. coram Royas, & decis. 216. num. 10. par. 10. rec.*

R. P. D. C E R R O.

Pistorien. Beneficii.

*Ven. 27. Martii 1716.*

**A**D Beneficium sub titulo SS. Justi, & Lucie in Civitate Pistorien. de Jurepatronatus ab antiquo tempore Sebastiani, Francisci, & Josephi fratrum de Vergiolesis vacans de mense Januarii 1707. per obitum Canonici Nicolai de Serpontibus presentatus fuit Franciscus Maria de Bellincionis à Philippo de Serpontibus, tamquam Patre, & legitimo Administratore Jo: Baptista, & Caroli suorum filiorum hæredum Eulalie Victoriæ de Vergiolesis eorum Matris, ejusque presentationi adhæsit successivè Petrus de Bellincionis, uti Procurator Mariæ Lucretiæ filiæ Tancredi de Vergiolesis, ac Monasterii Sanctæ Catharinæ ex persona quondam sororis Mariæ Virginie de Vergiolesis, ac pariter uti Procurator sororis Mariæ Felicis Monialis Sanctæ Lucie: E contra verò Angelus de Bajuchis, tamquam Procurator Mariæ Eleonoræ filiæ Philippi Vergiolesi, & Uxoris Cæsaris de Azzanis, obtenta prius assignatione quatuor mensium ad presentandum, deinde mense Maji nominavit coram eodem Vicario generali Franciscum Nicolaum de Barillis, declarando hunc actum explere etiam nomine Caroli, & Joannis Baptista de Serpontibus, tamquam Patronorum alterius medietatis in vim cujusdam alternativæ inite de anno 1705.; Quare orta controversia inter utrumque Presentatum coram Ordinario, iste confirmavit per Sententiam institutionem jam Bellinciono concessam, quæ cum revocata fuerit contrario Judicio Vicarii generalis Archiepiscopi Florentini, ac rursus alterius Judicis, cui causa per Breve fuerat delegata, provocante tandem Bellinciono ad Rotam, proposui in Audientia diei sextæ labentis mensis Dubium = *An, & cui esset adjudicandum Beneficium*, = & illius resolutio, tunc dilata ad instantiam Francisci de Barillis, hodie

hodie capta fuit sub rescripto = Beneficium esse adjudicandum Francisco Maria Bellinciono :

9 Cùm enim iste majores pro sui nominatione numeret Patronorum voces, quidem illorum, qui in quasi possessione præsentandi reperiebantur, nedum vigore statuum præcedentium, sed etiam ultimi, qui solùm attenditur in hac materia pro regulanda quasi possessione Jurispatronatus juxta passim animadversa per *Rotam in Cremonen. Beneficii 4. Februarii anni præteriti* §. Quandoquidem coram me, & in *Casertana Beneficii 27. Martii subsequens* §. Docuit cum seqq. coram Eminentissimo Domino Cardinali Scotto, nullo valido jure potuit illi retardari institutio ad *Text. in cap. Quoniam de Jurepat.*, *Rot. coram Seraph. decisi. 678. num. 2.*, & in *Bononien. Beneficiorum de Castello 12. Decembris 1712.*, §. Institutio coram R. P. D. meo Crispo, & in *Comen. Jurispatronatus 11. Martii anni proxime elapsi* §. fin. coram me. Est namque veluti illius fructus, quo nullatenus privari debet is, qui bona fide in ea reperitur *Rota in Meleuitana. Jurispatronatus 31. Martii 1702.* §. Minusque coram Eminentissimo Scotto, & in *Placentina Parochialis 22. Martii anni præteriti* §. Quare cùm nos coram me.

Quodd verò Franciscus Maria Præsentatus fuerit à majori Patronorum numero, qui in quasi possessione præsentandi sunt constituti in vim ultimi status, indè patet, quia noscitur Præsentatus à Maria Lucretia de Vergiolesis eius Matre, & filia Tancredi de Vergiolesis, ac à sorore Maria Felice Victoria filia Philippi Vergiolesi, & Moniali in Monasterio Sanctæ Lucæ, nec non à Philippo de Serpontibus, uti Tutore, & Curatore Caroli, & Jo: Baptistæ suorum filiorum, & hæredum Eulaliæ Victoriæ de Vergiolesis filia dicti Philippi, qui omnes in novissimo statu anni 1706. præsentarunt Canonicum  
10 Nicolaum de Serpontibus. Quapropter cum hic vigore præsentationum hujusmodi promeruerit canonicè institui, ac Beneficio usque ad obitum frui, non est controvertibile remanere sic firmatum ultimum statum, ac Patronos constitutos legitimè fuisse in quasi possessione præsentandi *Rot. in Aretina Jurispatronatus 22. Junii 1701.* §. Constat coram cl. me.

*Card. Caprara, & in d. Bononien. Beneficiorum de Castello 2. Maji 1712.* §. Ex quatuor coram R. P. D. meo Crispo.

Verùm si sola quasi possessio Patronorum vigore ultimi status esset de per se sufficientissima: validius valde illa constabatur ex assistentia statuum antecedentium: nam de an. 1705. Dominicus de Bellincionis fuit institutus in hoc Beneficio ad præsentationem d. Mariæ Lucretiæ filia Tancredi, ac d. Mariæ Felicis Monialis, excluso Canonico Nicolao de Serpontibus præsentato à filiis Mariæ Eulaliæ, ac à Maria Eleonora: Rursus de an. 1689., quo vivebat Bellus Vergiolesi, qui æquali voce potiebatur una cum Tancredo, & Philippo ejus fratribus institutus fuit Joseph de Flaschis veluti nominatus à Bello, ac à filiabus d. Philippi, & sic vincens Jo: Bellincionum, qui præsentatus fuerat à Maria Lucretia ejus Matre, & filia dicti Tancredi: Et insuper omiſſis antiquioribus anno 1670., tum Maria Lucretia prædicta, quàm filia memorati Philippi præsentarunt Canonicum Honuphrium de Panuzzis cum subsequuto effectu institutionis ad exclusionem Præsentati à Curatore dicti Belli tunc absentis, itaut respectu vocum Philippi, & Tancredi, eorumque respectivè filiorum fortius quasi possessio præsentandi corroboratur, dum comperitur ex tot statibus antecedentibus confirmata *Rot. in dicta Bononien. Beneficiorum de Castello*, §. Hæc juris præsumptio coram R. P. D. meo Crispo, & 9. Junii 1713., §. Atque hæc coram R. P. D. meo Ansaldo, & in *Papien. Rectoria 10. Decembris 1714.* §. Prædictus coram me.

Quinimo cùm Franciscus Maria calculus sui favore etiam vocem Mariæ Lucretiæ Matris, quæ in statu anni 1689. præsentavit Joannem Bellincionum contradictorem Josephi de Flaschis iubindè instituti, ac voces filiorum Mariæ Eulaliæ, qui in statu an. 1705. præsentaverant Nicolaum de Serpontibus succumbentem in concursu Dominici de Bellincionis, quæque ponenda sunt in calculo, licèt utraque præsentatio effectum sortita non fuerit ob concursum majoris partis Patronorum favore alterius Compræsentati, & apta sunt conservare non minùs Mariam Lucretiam, quàm filios Mariæ Eulaliæ

liæ

liæ in quasi possessione præsentandi, ut in specie notavit *Rota in Faventina Parochialis 6. Maji anni præteriti §. Tertius coram R. P. D. Lancetta*, libentius ei adjudicandum est controversum Beneficium, utpote suffulto plenioribus Patronorum suffragiis, quàm fuerint Beneficiati antecessores, qui nihilò tamen minùs obtinuerunt institui *Rot. in Cassanen. Beneficii 27. Martii 1713. §. Dubitari coram R. P. D. meo Crispo*, & *in Mediolanen. Beneficii 7. Junii anni proximè estuxi §. Militat coram eodem*, & *in d. Faventina Parochialis loco mox allegato*.

Iritis autem conatibus excludi contendeatur à Patronorum numero Maria Lucretia, eò quia non præsentaverit vivente Philippo Patruo, eoque defuncto in duobus statibus annorum 1670., & 1689. filia Philippi constitutæ essent in minori ætate nec ideo habiles ad contradicendum illius præsentationibus: Pertinentia enim prædicta abundè liquet tam ex statibus præcedentibus, dum ejus Pater, cæterique Progenitores ad controversum Patronatum semper præsentarunt, ut ex datis in *Summario Bellincioni à num. 1. ad 4.*, cum quibus concordant status adnotati in præinserta arbore, quam ex *Judicio Ordinarii lato super statu anni 1670.*, in quo unà cum filiis, & hæredibus Philippi fuit canonizata Patrona, etiam Maria Lucretia filia, & hæres Tancredi, & in illius sequelam hujusmodi possessio confirmata remanserit ex præsentationibus ejusdem Mariæ Lucretiæ in recentibus vocationibus annor. 1705., & 1706., insimul cum filiabus dicti Philippi, ipsisque nullo modo contradicentibus, quæ unicè satis essent, nè exceptio isthæc attendi debeat in hoc judicio possessorio *Rot. in Cremonen. Beneficii 14. Maji 1706. §. Tanto faciliùs coram Reverendis. Kaunitz*.

Quæ cum ita sint nullius obstaculi comperta fuit quædam alternativa inita de anno 1705. inter Mariam Eleonoram, & filios Mariæ Eulaliæ, ad hoc, ut jus præsentandi ad istud Beneficium prima vice spectaret ad Carolum, & Jo: Baptistam de Serpontibus filios dictæ Eulaliæ, eorumque descendentes masculos, & alia vice ad dictam Mariam Eleonoram, ejusque pariter descendentiæ masculinam,

adeò Turnarius de tempore sui Turni præsentare posset sinè interventu alterius Patroni, perinde ac si esset unicus Beneficii Patronus, unde arguebant Scribentes pro Francisco Nicolao, quòd consumpto in præcedenti vacatione Turno filiorum dictæ Eulaliæ jus præsentandi hodie integrè spectet ad Mariam Eleonoram, quæ nominavit eundem Franciscum Nicolaum de Barillis. Animadversum namque fuit, memoratam alternativam vel nullis viribus subsistere, vel ea etiam admiffa, adhuc esse in tuto jura Bellincioni pro assequenda Beneficii adjudicatione.

Non inquam dicta alternativa potuit viribus subsistere: Illa enim præferens dumtaxat tractatum habitum ab illis de Serpontibus per epistolas cum Maria Eleonora absente, & Cæsare Azzano suo viro stipulata legitur sub ea explicita lege, ibi *La presente alternativa non abbia luogo, se non quando resterà, come sopra, accettata dalla detta Signora Maria Eleonora, e Sig. Cesare Azzani, e che validamente si obblighino à forma della presente, e non altrimenti, nè in altro modo*. Unde propterea cum de tempore vacationis anni 1706. de mense Aprilis adhuc non supervenisset requisitus consensus dictæ Mariæ Eleonoræ, nullam potuerat validitatem acquirere, tanquam ob non impletam conditionem, sub qua alternativa fuerat stipulata, quæ actum suspendit usque ad tempus acceptationis, & ab illo solum incipit observantia contractus *Gratian. discept. 307. num. 8., Rot. in rec. decis. 316. num. 6. par. 16., & decis. 215. num. 1. par. 18., & coram R. P. D. meo Ansaldo, decis. 98. num. 8.*

12 Neglecta prorsus responsione, quòd verba prædicta non importent conditionem suspensivam Turni, sed modum resolutivum in casu, quo illa non fuisset acceptata, quia cum inter dispositionem modalem, & conditionalem ea intercedat differentia, ut conditio impediatur effectum perfectionis, modus verò actum resolvat post perfectionem contractus, ut de prima dixit *Rot. coram Coccin. decis. 1856. num. 6.*, & de secundo eadem *Rot. decis. 62. num. 1. part. 18. recent.*, nulla juxta rationem contextus dd. verborum potest interpretari pro modo resolutivo, quan-

quando Contrahentes fuerunt adeò solliciti, ut noluerint alternativam locum habere, nisi ubi acceptaretur à Maria Eleonora, ut probant auctoritates supra recensitæ, & est etiam de Jure, quia cùm alternativa sit contractus, impossibile est istum perfici, nisi ex mutuo Contrahentium consensu, & quousque non supervenit utriusque consensus, semper remanet in suspenso *Bald. in leg. multum interest num. 25. Cod. si quis alter, vel sibi Rot. in recent. decis. 845. num. 2. part. 5., & in Castellana Validitatis Concordia, seu Bipartita 12. Januarii 1705. §. Posito, & in Cabilonen., seu Ordinis Cisterciens. Jurisdictionis 3. Junii 1709. §. Minimè coram Reverendiss. D. meo Molines.*

Quòd clarius proprio factò comprobavit ipsa Maria Eleonora, quæ in dicta vacatione anni 1706. dum non adhuc dictum alternativæ contractum acceptaverat non solum legi ibidem adjectæ non obtemperavit, permittendo, quòd Turnus ab illa vacatione inciperet in filiis dictæ Mariæ Eulaliæ, sed contra illius substantiam devenit ad actum nominationis pro portione, & rata adeam spectante, & pertinente, quemadmodum pro eorum portione, & rata nominarunt filii Mariæ Eulaliæ: Quocirca sicuti substantia dicti contractus alternativæ, ubi verè fuisset ad perfectionem perductus, hoc exegisset, ut jus nominandi pro prima vice, seu Turno in totum spectaret ad filios Mariæ Eulaliæ, nec illa licèt Compatrona, veluti carens Turno, ullam vocem potuisset sibi asserere juxta communiter tradita per *Joann. Andr. in cap. cùm in illis sub num. 2. deprehend. in 6. Lambert. de Jurepat. lib. 1. par. 2. quest. 2. art. 36. num. 6., & 7., Gonzal. ad regul. 8. gloss. 45. §. 1. num. 16., & §. 2. num. 42., Rot. in recent. decis. 14. num. 2. part. 12., & in Monasterien. Canonicatus 11. Martii 1707. §. Fuit siquidem coram Eminentiss. Scotto, & in dicta Placentina Parochialis 22. Martii anni præteriti §. Subskulit coram Me. Ita dum nominare voluit pro sua rata, & portione contrahendo pacto concordia, nunquam dicitur illam servare voluisse *Rota decis. 262. num. 1. part. 2. divers. & in Januen. Abbatia 10. Martii 1692. §. Cæterum coram bon. mem. Manuel, & propria declaratione ostendit in ea vacatio-**

ne noluisse uti alternativa, aut illi principium dare juxta notata in specie per *Modern. Roman. discept. Eccles. 53. nu. 20., Rot. coram Royas decis. 300. num. 8.*

Alia etiam nullitate scatebat supradictum Instrumentum alternativæ, quia nempe suppositum fuit jus præsentandi integrè spectare ad filios Philippi Vergiolesi, & sub hoc fundamento fuit alternativim divisum inter illos de Serpontibus filios Eulaliæ, ac Mariam Eleonoram, quod pœnitens corrumpit ex supra latè demonstratis, ubi ostensum fuit ad filios dicti Philippi pertinere dimidiam tantum partem, residente alia medietate pœnes Mariam Lucretiam, uti filiam Tancredis; Unde promanat, quòd alternativa facta tantum inter filios Philippi, qui solum medietate Jurispatronatus pollebant, nequaquam valeat sustineri, tanquam per deficientiam consensus dictæ Mariæ Lucretiæ alterius Patronæ, qui etiam pro actus validitate requirebatur ad firmata per *Rocc. de Curt. de Jurepat. in verbo jus num. 11., Marant. respons. 14. num. 53. tom. 3., & respons. 29. num. 24., & seqq. tom. 5., Carol. Anton. de Luc. de lin. legal. art. 24. num. 21., Rot. in Hispalen. Divisionis Simultanea 4. Junii 1700. §. 1. coram Eminentiss. Priolo.* Absque eo quòd ista nullitas possit evitari ex quadam nova alternativa inita die 10. Decembris 1707., in qua agnito jure etiam Mariæ Lucretiæ fuit & ipsa admissa ad Turnum sine præjudicio tamen præcedentis alternativæ respectu controversæ vacationis; Etenim cùm ea evenerit non solum post apertam præsentem vacationem, sed insuper post sequutam præsentationem Francisci Mariæ, de qua modo res est, neutiquam potuit illi aliquid ex ea præjudicium irrogari, cùm notissimi juris sit Patronum expleta præsentatione non posse quidquam præjudicare Præsentato, vel aliquid de ejus juribus diminuere *Capon. discept. 74. num. 16., Barbos. de potest. Episc. alleg. 72. num. 126., Rot. in Volaterrana Beneficii 28. Januarii 1709. §. Ex pluribus coram R.P.D. meo Crispo.* Tametsi verò satis probata videri possit nullitas dictæ alternativæ, nihilominus jura Francisci Mariæ erant adhuc in tuto etiam ommissa omni indagine super dicto contractu inito inter filios præfati Philippi;

pi; quandoquidem cum, ut toties repetitum fuit, isti non constituent nisi medietatem vocum in hoc Jurepatronatus, ac alia medietas omnimodè spectet ad Mariam Lucretiam filiam Tancredi, hinc fit consequens, quòd Franciscus Maria uti nominatus à Maria Lucretia Matre habere dicatur extra controversiam medietatem vocum, quæ sola sufficit, ut tanquam filius Compatronæ in paritate vocum præferatur alteri Contradictori prorsus extraneo juxta æquitatem commendatam à gloss. in Can. neminem dislin. 60., de qua Vivian. de Jurepatr. lib. 14. cap. 2. num. 64. Adden. ad Pamphil. decis. 294. nu. 11., Rot. coram Ubald. decis. 339. nu. 7., & in Alatrina Jurispatronatus 15. Junii 1705., & 7. Decembris ejusdem anni coram Eminentiss. Scotto, & in Sorana Jurispatronatus super Institutione 27. Januarii 1710. §. Et quatenus coram eodem, & 22. Januarii 1712. §. fin. coram R. P. D. meo Falconerio. Quin gratificatione ei in vocum paritate debita indignum se reddiderit, ex quo pendente termino ad appellandum controversi Beneficii possessionem nactus fuerit, & proinde incidit in pœnam Cap. Avaritia de elect. in 6, quod procedere etiam in Præsentatis ad Beneficia inferiora, dixit Rota coram R. P. D. meo Ansaldo decis. 95. num. 13. Siquidem quidquid sit, an Franciscus Maria verè occupaverit Beneficii possessionem, pœna in dicto Capitulo comminata vindicat solum sibi locum, ubi Præsentatus in vim solius nominationis possessionem Beneficii propria auctoritate usurpasset, secus verò ubi illa apprehendatur, ut in præfenti, post Institutionem ab Ordinario legitimè reportatam, ut distinguit Lotter. de re Benefic. lib. 2. quest. 13. nu. 13., & 14. Corrad. in prax. Benef. lib. 4. cap. 6. nu. 16., Vivian. de Jurepatr. lib. 20. cap. 8. nu. 12., & seqq., & firmavit Rot. in rec. decis. 22. nu. 15., & 16. part. 16.

Et ita utraque &c.

#### ARGUMENTUM.

Ordinato Turno, seu alternativa super Jure præsentandi inter Patronos, si Præsentatus ab existente in Turno cedit, aut decedat ante

Institutionem, an Turnus dicatur consumptus adeò ut sit locus Turno favore alterius Patroni.

#### SUMMARIUM.

- 1 Præsentatio ineffectuata an consumat Turnum? vide ibi, & num. 2.
- 2 Enumerantur modi, quibus evenire potest ineffectuatio præsentationis.
- 3 Præsentatio ineffectuata ex eo, quia Præsentatus cesserit, aut decesserit ante institutionem non consumit Turnum, & numer. 7.
- 4 Præsentatio ineffectuata ex impedimento injustè præstito ab ipso Collatore, aut ab altero Compatrono, cui competit successivus Turnus, non consumit Turnum.
- 5 Provisio Apostolica facta in Turno unius Patroni, an illum consumat?
- 6 Præsentatio ineffectuata ex culpa, & negligentia Patroni Turnarii, an consumat illius Turnum?
- 8 Auctoritas Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 12., & Card. de Luc. de Regul. disc. 4. num. 3., quo sensu procedat? vide ibi.
- 9 Vacante Beneficio in Turno unius Patroni de communi consensu simul præsentaverint in illo, Turnus illius Patroni non consumitur.
- 10 Diviso Jurepatronatus passivo inter duo genera Personarum per Turnum, si in vacatione Beneficii non existat ullus qualificatus de primo genere Personarum, ad quod spectat Turnus, & præsentatio fiat de Persona secundi generis, per hanc præsentationem Turnus secundi generis Personarum non consumitur; imò neutrius, ut num. 12.
- 11 Alternativa, seu Turnus dicitur cessare, & suspensus remanere quando non existit ullus de genere Personarum passivè vocato, & num. 13.
- 14 Consensus præstitus Permutationi Beneficii à Patrono Turnario, consumit hujus Turnum.
- 15 Collatio Beneficii liberè facta ab Ordinario jure devoluto Persona, cui competit Turnus passivè nominationis, an illum consumat, vide ibi, & num. 19.
- 16 Præsentato à Patrono debetur institutio.
- 17 Præsentatus à Fundatore preferendus est Præsentato ab aliis Patronis.

- 18 *Vocatio directa à Fundatore, ad unum ex filiis certa persone, ad alios filios ejusdem persone non est extendenda.*
- 19 *Ordinarius conferens jure devoluto beneficium Patronale debet observare formam in illius fundatione præscriptam; imò & Summus Pontifex, & num. 20.*
- 21 *Fraus non debet parere commodum fraudanti.*
- 22 *Si passivè vocatus, cui competit Turnus sit incapax, fit locus sequenti Turno alterius passivè vocari.*

## C A S U S VII.

**A**D formam hujus Canonis divisum fuit Jus præsentandi per Turnum, & alternativam inter duos Patronos. Vacato beneficio Patronus existens in Turno præsentavit ad illud quemdam Clericum, qui ante institutionem ab hac vita deceffit. Queritur in hoc casu, an Turnus hujus Patroni dicatur consumptus, aded ut sit locus Turno favore alterius Patroni, vel potiùs primus Patronus possit ad novam præsentationem devenire.

- 1 Videtur dicendum præsentationem hanc factam à primo Patrono Turnario consumpsisse hujus Turnum, quia ipsa quantum est in se, est actus perfectus, dum fuit facta coram habente instituere, & à Præsentato acceptata, aded ut primus Patronus per eam officio suo functus esse dicatur; & licet Præsentatus institutionem, & possessionem beneficii non fuerit consecutus, hoc non provenit ex aliquo impedimento præstito ab altero Patrono, cui competit successivus Turnus, sed à casu accidentali præventivæ mortis ejusdem Præsentati, qui casus redundari non debet in præjudicium ejusdem secundi Patroni, & impedire locum Turno illius favore; uti sentire videtur *Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 12. ibi = Si verò Episcopus, aut Capitulum collationem alicui fecerit, & post illam acceptatam, ante apprehensionem possessionis, talis provisus cefferit, aut decefferit, tunc jam dicetur collatio effectuatæ, & Turnus consumptus, = & clarius Card. de Luc. de Regular. disc. 4. num. 3. ibi = Secùs autem ubi à Tertio, ut tunc id cadat sub diversa regula casualis ineffectuationis, quæ non impedit Turni consumptionem, quamvis*
- Pars IV.

- Provisus beneficii possessionem adeptus non esset.*
- 2 Verùm hoc non obstante contrarium censeo tuendum, pro cuius veritatis assecutione præsupponendum est ineffectuationem præsentationis multipliciter evenire posse; Primo nimirum ex casu accidentali; Secundo ex impedimento præstito ab altero Compatrono, cui competit successivus Turnus, vel ab ipso Collatore; Tertio ex impedimento præstito à Tertio; Quarto ex propria culpa ipsius Patroni Turnarii. Si præsentatio sit ineffectuatæ ex casu accidentali, e.g. ex eo, quia Præsentatus sit defunctus, aut non acceptaverit præsentationem, aut cefferit, & renunciaverit præsentationi ante institutionem, ipsa Turnum non consumit, sed Patronus Turnarius potest iterum præsentare, ea ratione, quia præsentatio dici non potest perfecta etiam post Præsentati acceptationem nisi donec & quousque supervenerit Institutio Superioris, quæ plenum jus tribuit Præsentato; *Text. in cap. Si electio de elect. in 6. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 6. & seq. Gratian. discept. 58. num. 11. Tondut. quest. benef. par. 2. cap. 3. §. 8. num. 37.* Si sit ineffectuatæ ex impedimento præstito ab ipso Collatore eo, quia e.g. injustè denegaverit Præsentato institutionem, aut ab altero Compatrono, cui competit sequens Turnus, tunc etiam Turnum non consumit, aliàs hujusmodi impedimentum præstitum ab altero Compatrono, commodum huic pareret, quod improbant omnia jura, nè detur occasio fraudibus *ad Text. in l. nec & dolo ff. de dolo, & in cap. Postulastis de concess. Præben. Card. de Luc. de Regular. disc. 4. nu. 3. Rot. decis. 372. num. 17. part. 18. rec., & in Tusculana Cappellaniæ 15. Martii 1715. §. Aliàs coram R.P.D. Ansaldo.* Si sit ineffectuatæ ex impedimento præstito à Tertio e.g. à Summo Pontifice, eo quia ipse apposuerit manus conferendo alteri beneficium, tunc pariter non consumit Turnum, nisi Papa in sua provisione, hoc velle declaret, mediante speciali derogatione Jurispatronatus, seu Juris spectantis ad Turnarium juxta *Tondut. quest. benef. part. 2. cap. 3. §. 8. num. 35. & seqq. Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 8. Rot. in Vicen. Canoniciatus 18. Februar*



6 *bruarii 1701. §. Quoniam coram Eminen-*  
*tiss. Tremoille.* Denique si sit ineffectuata  
 ex negligentia, & culpa ipsius Patroni  
 Turnarii, eo quia nec ipse, nec ejus Præ-  
 sentatus promoverunt præsentationem,  
 neque insteterunt coram Ordinario pro  
 institutione, vel quia scienter præsentaverit  
 inhabilem, & incapacem, & tunc præsentatio  
 licet ineffectuata consumit Turnum,  
 quia cum ineffectuatio sit culpabilis Patrono,  
 hujus culpa sibi, & non alteri Compatrono  
 debet esse damnosa. *Gonzal. ubi supra dicta gloss. 45. §. 3. nu. 31. cum seqq.*

7 Hoc supposito; jam patet resolutio præ-  
 sentis quæstionis; ineffectuatio siquidem  
 supradictæ præsentationis provenit ex casu  
 accidentali præventivæ mortis Præsentati,  
 unde ex supradictis præsentatio illa  
 consumere non valuit in hoc casu  
 Turnum primi Patroni, sed iste potest  
 iterum præsentare, cum facultas aliquid  
 faciendi non intelligatur consumpta, nisi  
 factum habeat effectum suum. *Merlin. Pignattell. contrav. forens. tom. 1. cap. 50. per tot. Gonzal. ubi supra num. 4.*

8 Non obstat auctoritas ejusdem *Gonzalez,*  
 & *Card. de Luc.* ubi supra in contrarium  
 relata; Ille enim loquitur de collatione,  
 quæ per acceptionem perficitur, & plenum  
 jus tribuit ei, ad cujus favorem facta  
 fuit: iste verò loquitur confusè de jure  
 conferendi, & præsentandi; quinimò  
 alibi de *Præmin. disc. 28. num. 14.* agendo  
 de nominatione, supponit tunc per eam  
 consumi Turnum, quando fuit à Superiore  
 admissa.

9 Ad materiam plures hic annecto casus,  
 ex quibus agnosci potest, quando Turnus  
 dicatur consumptus, & quando non. Primus  
 est, si Jus præsentandi sit divisum per  
 Turnum, & Alternativam inter plures  
 Patronos, e. g. A. B. C., & succedente  
 vacatione in Turno Patroni A, omnes  
 Patroni simul in ea præsentaverint; Quæro  
 an Turnus Patroni A, in hoc casu dicatur  
 consumptus?

Respondeo negativè; ut enim Turnus  
 consumatur, oportet quòd Turnarius  
 præsentet solus, ita ut per illius præsentationem  
 evacuetur ejus Turnus, & fiat locus  
 Turno alterius; hic enim dicitur Turnus,  
 & in hoc consistit Alternativa, *Gonzal. ad Regul. 8. gloss. 45. §. 3. num. 42.*

*Rot. decis. 300. num. 10. coram Royas, & in Salamantina apud Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 709., & decis. 90. num. 2., & decis. 97. num. 2. coram Ottobon., & in Cracovien. Parochialis. 28. Junii 1706. §. de validitate cor. Reverendiss. Molines.* Aliàs si præsentat simul cum aliis, Turnus dici non potest consumptus pro illo, imò nulli computatur hæc præsentatio, quia nemo gaudet Turno suo singulariter, & privativè, sed omnes simul dicuntur gaudere jure præsentandi; Unde actus communis nemini ex illis particulariter adscribi, & computari potest. *Text. in cap. Cum in illis §. Si verò de Præben. in 6., & cap. final. versic. Sive dentur in communi eodem tit. in 6. l. hemo ex sociis, ff. pro socio.*

10 Secundus casus est; divisio Jurepatronatus passivo inter duo genera Personarum, e. g. inter Clericos Familiæ A, & Clericos Familiæ B per Turnum, & Alternativam, si in vacatione beneficii non existat ullus Clericus de Familia A, ad quam spectat Turnus, & præsentatio fiat de Clerico Familiæ B, per hanc præsentationem an Turnus Clericorum Familiæ A consumatur.

Respondeo per illam præsentationem Turnum Clericorum Familiæ A non consumi; Ratio est, quia licet in prima vacatione Turnus spectet ad Clericos Familiæ A, tamen cum de tempore vacationis non reperitur ullus Clericus de Familia A, Turnus hujus non potest habere locum; & Patronus præsentare potest alium ex Clericis Familiæ B; cum Alternativa, seu Turnus dicatur cessare, & suspensus remanere, quando non existit ullus de genere Personarum passivè vocato. *Text. in cap. Abbate de verb. signific. in fin. ibiq. Abb. num. 8., & in can. In nomine Domini dist. 23. Fagnan. in cap. Cum dilectus num. 51. de consuetud. Pax Jordan. tom. 2. lucubrat. lib. 10. tit. 27. nu. 20., & seqq. Garz. de benef. par. 7. cap. 15. numer. 12., & 14. Rot. coram Millin decis. 184. num. 6., & seqq.* Et consequenter cum Clerici Familiæ A utpote non existentes præsentari non valuerint, non fuit consumptus eorum Turnus, sed in sequenti vacatione, si existant, ipsis debetur jus passivæ præsentationis. *Gloss. in dicto cap. Abbate verb. Donec ibidem, versic. Sed pone, ibiq. Butr. num. 23. Joann. Andr.*

*Andr. num. 8. Zabarell. in S. final. num. 3. Hofien. num. 16.*

- 12 Inò per dictam præsentationem neutrius, nimirum nec Clericorum Familiæ A, nec Clericorum Familiæ B Turnus consumitur, quia pro illa vice dicitur præsentatio extraordinaria, seu subsidaria extra legem turni, ita & taliter, quod Turnus in sequenti vacatione pertinere debet ad Clericum Familiæ A. *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. num. 37. & seq. Garz. de benef. part. 5. cap. 1. num. 243.*
- 13 Urgente ratione, quia impossibile est, quòd consumatur Turnus in præjudicium Turnarii, quando hic non existit in rerum natura, cum non entis nullæ sint qualitates, & ideo quoties nova succedit vacatio, & reperitur Persona, quæ antea non extabat, ista jure quodam postliminii consequitur Turnum sibi competentem; *Textus in capit. 2. de suppl. neglig. Pralat. in fin. ibiq. gloss. verb. in posterum Card. de Luc. de Regular. disc. 10. num. 2.* Et ratio ulterior est, quia Turnus non consumitur, nisi quando præsentatio fit favore generis vocati, quæ simul habeat effectum, nisi Turnarius sit in culpa. *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. nu. 4. Rot. in Bononien. Parochiali 2. Martii 1708. §. Quòd autem, & §. Etenim coram Eminentissimo Priolo.*
- 14 Tertius Casus est, Diviso inter Patronos Jure præsentandi per Turnum; si Beneficiatus permutet beneficium Patronale cum altero beneficio in Turno unius ex dictis Patronis, & iste consentiat permutationi; an hujusmodi consensus consummat illius Turnum? Respondeo: Affirmativè quia consensus ille habetur loco præsentationis, ut docent *Lambertin de Jurepat. lib. 2. part. 1. quest. 6. art. 6. sub num. 20., & 22. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 3. numer. 52. Rot. decis. 163. num. 13. coram Durand. & decis. 34. num. 8. coram Priolo, & in Cremonen Beneficii 2. Maji 1718. §. Non difficillius coram R. P. D. Lancetta.*
- 15 Quartus Casus est: Si Fundator dividat Juspatronatus passivum inter diversa genera personarum per Turnum, & Alternativam, e. g. demandet, quòd cappellania, sive beneficium possideatur ordine successivo ab uno filio Titii, deinde ab uno filio Caji, & postremo ab uno

*Pars IV.*

filio Sempronii; si succedente vacatione beneficii, & nemine ex vocatis intrà terminum statutum comparente, Ordinarius conferat beneficium jure devoluto, cuidam filio Titii; quæritur an provisio ista facta ab Ordinario jure devoluto consumpserit Turnum spectantem ad unum filium Titii, seu potius succedente iterum vacatione beneficii, iterum etiam obtinere debeat dictum beneficium alter filius ejusdem Titii.

Hujusmodi casus disputatus fuit in *Sacra Rota*, cui placuit definire, provisionem illam liberè factam ab Ordinario jure devoluto, consumpsisse Turnum spectantem ad unum filium Titii. Rationem verò ita definiendi desume ex sequenti Decisione.

R. P. D. A N S A L D O

Tusculana Cappellania.

*Ven. 15. Martii 1715.*

**I**N iisdem Tabulis, in quibus de anno 1679. pro ultima vice datum fuerat Petro de Magistris de bonis suis disponere, tres erigi, suisque sumptibus dotari Ecclesiasticas Cappellantias in Ecclesia Patrum Scholarum Piarum mandaverat sub ea lege, ut non prius facultas nominandi Cappellanos relicta pro una voce iisdem Patribus, & pro Altera Conservatori Civitatis ad effectum deduceretur, quàm consumptæ essent per Turnum omnes illæ nominationes personarum, quas ordine successivo instituendas Testator ipse voluerat, videlicet post Paulum Crispum, Josephum Butium, & Joannem Bernardinum de Blancis, quos in primis Cappellanos designaverat = *Abino da succedere ordine successivo, secondo che per scala da me sono nominati gl'infrascritti, cioè Bernardino Buzj, Gio: Paolo Manna, il Sig. Pietro Galoppi &c., Paolo Antonio Ferri &c., un figlio del Sig. Pietro Arigoni, un figlio del Sig. Giuseppe Buzj, un figlio del Sig. Giulio Pelli, ed un figlio, che nascerà da Maria, e Faustina Buzj* (sunt verba ipsa à Testatore prolata) quibus omnibus consumptis fieret tandem locus nominationi Patrum, & Conservatoris, non tamen effrenatæ, ac omninò liberè, sed = *Con questa condizione però, che li*

H 2

*fog-*

*soggetti da nominarsi, voglio, che siano del mio sangue, e più prossimi al mio parentato &c., ordinando, che da questa elezione restino sempre esclusi li forastieri &c., ut ipse Testator prosequatur.*

Cùm autem per obitum Pauli Antonii Ferri vacasset de anno 1712. altera ex memoratis Cappellaniis, ac ad eam, sub supposito, quòd nullus alius de designatis à Testatore instituendus amplius superesset, unanimi Patronorum, nempe Patrum, & Conservatoris voce nominatus extitisset Andreas Butius, hujus institutioni se opposuerat illico Joannes Augustinus Pellius uti filius Julii, ac sub prætextu certæ, & expressæ nominationis de eo factæ à Testatore ibi = *Un figlio del Sig. Giulio Pelli*, institutionem petierat, unde quæstione ad Pro-Vicarium Generalem Tusculanum delata, prodierat tandem sententia Cappellaniam Joanni Augustino adjudicans; à qua cùm provocasset Andreas, mihiq; commissionem dirigi curasset proposito idcirco hodie consueto dubio, *An nempe, & cui sit adjudicanda Cappellania; eam Domini adjudicandam esse Andrea Butio jure merito censuerunt.*

16 Docebat enim, se unicè à Patronis omnibus præsentatum, adeòque ei tantùm beneficii adjudicatio omni jure debita videbatur, ut monet *Rot. in Marsicen. Beneficii 1. Februarii 1709. §. Illi enim coram R. P. D. meo Falconerio, in Camerinen. Beneficiatus 10. Maji 1709. §. 1. coram Reverendis. D. meo Molines Decano, & in Civitatis Castelli Canonicatus 12. Martii 1714. §. Ratio fuit coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Governatore.*

17 Et quamvis Joannes, se uti filium Julii Pelli, ac idcirco expressè per Testatorem vocatum præferendum fore contenderet quibuscumque aliis per Patronos nominatis juxta *Text. in cap. Si postquam 13., & cap. Dudum 14. cap. Cùm in Ecclesia 25. de de præbend. in 6. in l. Si unum in Familia §. 1. ubi Doctores ff. de legat. 2., quos in proposito refert, & sequitur Rot. in Barchinonen. Beneficii 2. Decembris 1701., & 24. Martii 1702. coram bon.mem. Card. Caprara in Melphiten. Cappellaniæ 4. Julii 1698. §. Quapropter, & in Corduben. Cappellaniæ 26. Martii 1596. §. 1. in fine, necnon in Terulen. Beneficii 25. Junii ejus-*

*dem anni coram Muto.*

18 Nihilominus animadvertentibus DD., quòd jus illud passivum unius ex filiis Julii Pelli consumptum, ac evacuatam remanserit usque de anno 1709., quo Franciscus Xaverius alter ex filiis sæpediti Julii unam ex memoratis Cappellaniis fuerat jam assequutus, unde cessaverat obligatio alium instituendi, cùm in unum tantùm ex dictis filiis vocatio Testatoris directa fuerit, adeòque ad alios filios non extendenda ex regula *Text. in l. Boves §. Hoc sermone ff. De verb. signific. Cravett. cons. 151. n. 9. vers. non obstat, & cons. 180. n. 2. in fin., & n. 3. Rot. cor. sa. me. Gregorio dec. 433. n. 7., & cor. Ubald. dec. 325. n. 7., ac cor. Penta dec. 1066. n. 3.*

Sentiebant quidem responsionis efficaciam, ac veritatem Scribentes pro Joanne Augustino, sed eam declinare, se posse blandiebantur, proponendo DD. animadversionem in factò, quòd Turnus tunc filio Julii competens consumptus quidem dici ad summum valuisset, quoties Franciscus Xaverius ejus frater assequutus fuisset aliam Cappellaniam ex judicio, seu dispositione Fundatoris, sed cùm eam institutionem recognoverit à gratia Eminentiss. Episcopi Tusculani, qui eidem collationem tamquam de devoluto largitus fuerat, attento lapsu 15. mensium, quo eadem Cappellania vacaverat, nemine unquam ex vocatis comparente, fess pro institutione instante, ac idcirco illa provisio ex jure diverso, seu ex diversa causa profuerit, dici propterea nequeat consumptum jus illud, quod à sola dispositione Testatoris derivare debebat.

19 Verùm nullius penitus relevantiæ visa extitit illa reflexio; Non latebat enim eosdem *Dominos* illa juris censura, qua cavetur, quod ubi Juspatronatus passivum certo personarum generi relictum sit, quamvis ad Ordinarios aliquando provisio devolvatur, valent equidem ea vice jure devoluto Beneficium illud conferre, sed tamen tenentur servata forma in fundatione Beneficii præscripta unum ex passivè vocatis instituere, ut tradunt *Garz. de Benefic. par. 10. cap. 3. num. 42. Caren. resolut. 159. nu. 4. Rebuff. in prax. benefic. tit. de devolut. nu. 4. cum duobus seqq. Lara de anniversar., & Cappellan. cap. 10. n. 27. Lotter.*

*Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 24. n. 62., & 63. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 46. num. 33., & Monacell. in formul. for. Ecclesiast. par. 1. tit. 2. num. 13.*

Quod ipse etiam met Summus Pontifex observat in Beneficiis ad Sedem Apostolicam devolutis, nullum unquam præjudicium inferens personis in fundatione passivè vocatis, ut observat *Castropal. Oper. Moral. tom. 2. tract. 13. de benefic. disp. 2. punct. 1. num. 17. Rot. coram Bich. decis. 189. num. 17., & seqq., & in re. decis. 121. num. 7. par. 17. in d. Barchinonen. Beneficii 2. Decembris 1701. S. Nec attendendum, & 24. Martii 1702. S. 1. coram cl. me. Card. Caprara, & 26. Martii 1703. S. fin. coram R. P. D. meo Lancetta, necnon in Vicen. Beneficii 17. Febr. 1713. S. Præterea coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Unde si Ordinarius tenetur conferre etiam in casu devolutionis Beneficia passivè vocatis, si Franciscus Xaverius talis erat, & Cappellaniam ab Ordinario fuerat assequutus, pernecessè dicendum est Ordinarium legem Testatoris, licèt ab eo non expressam unicè implevisse, & consequenter provisionem illam ab ejusdem Fundatoris dispositione emanasse; cum quælibet provisio semper intelligatur facta, prout de jure, & in eo modo sustineatur, quo de jure fieri debebat, ut advertit *Rot. in Alerien. Parochialis 28. Novembris 1692. S. Non refragante coram bo. me. Muto, & 27. Februarii 1696. S. Neque relevat coram Reverendis. D. meo Molines Decano impress. post Remocamp. de Coadjutor. decis. 11., & decis. 12. utrobique n. 6., & dec. f. 1030. num. 7., necnon decis. 1046. num. 8., & seqq. utraque coram Emerix jun.*

Inutili remanente Joannis Augustini replicatione, quod Ordinarius, nec expectare, nec requirere teneatur qualificatos, quibus Beneficia petendi cura incumbit; Quoniam ea procederent si ageretur de salvanda provisione ab Ordinario facta in estrancum jure devoluto, ubi nemo ex qualificatis intra statutum terminum non comparuisset, qui non est casus noster, dum comparuerat Franciscus Xaverius passivè vocatus, Beneficiumque fuerat assequutus, ut dixerit *modern. Roman. in ejus discept. Ecclesiast. 12. num. 59., & distinguit Rot. in d. Vicen. Beneficii 17.*

*Februarii. S. fin. coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Aliàs maximum illud otiretur absurdum, de quo Scribentes pro Andrea conquerebantur, quòd posset qualificatus eveniente vocatione sibi debita Beneficii omittere petitionem Institutionis in termino ad præsentandum dato, ejusque artificiosè expectata devolutione provisionem, Jure devoluto reportare, ut ita, non redacta subinde ad actum consumptione ejus Turni in alia futura vacatione alterius Beneficii provisionem ex beneficio turni, adhuc in ejus sensu vigentis infraudem successivè vocatorum, vel futurorum Patronorum, ut in casu reportare 21 valeret; Talis enim conspiratio, ac fraus, ac apertissimus dolus commodum illud pareret, quod improbant omnia jura, nè detur occasio fraudibus, & signanter in *l. Nec & dolo ff. de dolo, & Rot. in dec. 372. num. 17. par. 18. rec., ac decis. 14., & decis. 229. num. 8. coram Benincasa.*

Minimè pariter proficiente, quod de tempore vocationis prædictæ Cappellaniæ, scilicet de anno 1707. reperiretur passivè vocatus Hieronymus Arrigonus, prælativè ad unum ex filiis Julii Pelli, adeoque nulla culpa adscribi valuerit eidem Francisco Xaverio, si in tempore ad præstandum indulto, ipse non comparuerit, ac pro ejusdem Cappellaniæ adjudicatione insteterit; Quoniam cum idem 22 Arrigonus ex defectu Clericatus foret incapax, & acquievisset, ut in facto verificabatur, semper verum erat, quòd Turnus eo tempore competebat uni ex filiis dicti Julii, ut docet *Card. de Luc. de Jurepat. disc. 20. num. 6.* Cum, sublato primo, locus sequenti in gradu aperiatur, ut profequitur *Rot. in decis. 443. num. 17. coram Merlin. decis. 52. num. 15. inter hæctenus impressas coram Me, & in Florentina Canoniciatus 12. Martii 1706. S. Eo enim ipso, coram R. P. D. meo Lancetta.*

Sublato debili nimis Turni præsidio, adhuc sibi adjudicandam Cappellaniam, de qua agitur, clamabat Jo: Augustinus, tamquam de genere Fundatoris prælativè ad Andream, qui simpliciter affinis, & extraneus asserbatur, ita mandante litera foundationis superius recensita, ibi nempe = *Con questa condizione però, che li Soggetti da nominarsi voglio, che siano del mio*

*mio sangue, e più prossimi al mio parentato &c., ordinando, che da questa elezione restino sempre esclusi li forastieri.*

Sed inutiliter cum allegatam illam proximioritatem, nullatenus in facto justificare valuisset; ultra enim, quod idem Jo: Augustinus minimè probaverat ejus descendentiā ab Amita Fundatoris, nisi per depositionem duorum Testium, de hoc anno tantum, & pendente per consequens lite, ac absque partis citatione examinatorum, ac testari fatagentium de descendentiā antiqua ipsis omnino incognita, neque umquam in anteriori instantia idem Jo: Augustinus se de Testatoris sanguine facere somniaverit, adeoque dictis Testibus, nulla penitus fides adhibenda sit *ex vulgatis*, data (citra ullam tamen veritatem) illa etiam conjunctione, adhuc nullam deducere valebat proximioritatem; Æquè enim, & Andreas sanguine cum Testatore conjunctus, imò in gradu proximior apparebat. Hujusmodi enim conjunctio Andree deducebatur ex eo, quod ipse est filius Josephi, qui fuerat filius Francisci Butii, dictumque Franciscum, ipsemet Fundator in consanguineum agnoverat, eum quodam legato in testamento honorando; Et licet eundem pro affine nuncupasset, palpabilis tamen in nuncupatione error detegebatur, nec veritatem obnubilare valebat, quæ erat, quod Joseph Pater Andree foret consanguineus Fundatoris.

Quo denique Andreas haberet solam Patronorum nominationem, ut ei objiciebatur, non verò doceret de ejus acceptatione, & præsentatione coram Ordinario peracta, ex facto penitus in responsione Andree dilucidato diluebatur, dum & acceptatio, & præsentatio plenissimè justificabatur.

Et ita &c. utraque &c.

### ARGUMENTUM.

An Patroni Laici, sive Ecclesiastici cogi possint per Superiorem ad dividendum Jus præsentandi per Turnum, seu Alternativam.

### SUMMARIUM.

- 1 Refertur sententia Felini.
- 2 Nemo invitus cogitur stare in communione.
- 3 Provisio in casu discordiarum inter Patronos, aut paritatis vocum devolvitur ad Papam.
- 4 Usufructuarii quando invicem se impediunt in perceptione ususfructus, Judex tenetur eos cogere ad divisionem alternis vicibus.
- 5 Feudum communiter possessum à pluribus Fratribus, si isti sint discordes, dividi debet quo ad exercitium, seu usum illius.
- 6 Jus Tutela si oriatur discordiæ inter Tutores dividi debet quo ad ejus exercitium, & administrationem.
- 7 Electores si in electione discordant, Judex cogere eos debet ad concordiam.
- 8 Exercitium Jurium Parochialium spectans ad duos Parochos super domo sita, in confinio duarum Parochiarum in casu discordiæ est dividendum per alternativam.
- 9 Exactio subsidii charitativi super una, eademque Ecclesia competentis duobus Episcopis est dividenda per alternativam inter eos in casu discordiarum. Idem est in perceptione reddituum Ecclesiæ duobus Episcopis communis, si inter eos oriatur discordiæ & num. 10., & 29.
- 11 Jus percipiendi candelam in die Purificationis B. Mariæ Virginis competens pluribus Patronis dividi debet per Turnum in casu discordiarum.
- 12 Jus conferendi Ecclesiam competens duobus Episcopis ad evitandas discordias dividi debet per Turnum, & alternativam, & num. 19.
- 13 Sententia Lambertini docentis non posse Patronos cogi à Superiore ad divisionem Juris præsentandi per Turnum, & alternativam, est verior. Limitatur, ut num. 15.
- 14 Ex divisione simultanea Juris præsentandi, sæpe sæpius, vel eadem, vel majores insurgunt discordiæ.
- 16 Concordia inita inter Episcopum, & Patronum in una vacatione liberè conferendi beneficium, & in altera vacatione, conferendi illud ad præsentationem Patroni, an sit confirmanda?

- 17 *In divisione Juris presentandi per Turnum requiritur omnium Patronorum consensus.*
- 18 *In re communi melior est conditio prohibentis.*
- 19 *Statutum, sive pactum Juri communi adjectum efficit, ut non liceat fieri, quod aliàs de jure sine pacto liceret.*
- 21 *Collatio beneficiorum simultanea an sit communio, seu societas simplicis jurisdictionis.*
- 22 *Provisio beneficiorum per simultaneam collationem facta an sit magis proficua Ecclesie, quam turnaria.*
- 23 *Examinantur auctoritates in contrarium allatae, & num. 24.*
- 25 *Patroni Ecclesiastici an cogi possint ad divisionem Juris presentandi per Turnum, & num. 26.*
- 27 *Devolutio beneficii est remedium à jure praescriptum ad tollendas discordias Patronorum.*

## C A S U S VIII.

Quaestionem aggredior fati contro-  
versam inter Doctores, nimirum,  
*An Patroni cogi possint à Superiore  
ad divisionem Juris presentandi per Turnum,  
seu Alternativam? Quam examinanda  
suscepi ex commissione mei Praeceptoris,  
& quam credo ab eodem etiam juxta  
suum sensum examinata, & impressam  
in ejus Tractatu de Controv. Patronorum.*

- 1 *Tuetur Felinus in cap. Prudentiam de offic. delegat. num. 5. circa finem, posse Patronos inter se discordantes in presentando ad instantiam aliquorum ex illis cogi à Superiore ad dividendum Jus presentandi per Turnum, & alternativam, ibi = Pro quo facit glossa prima in fin. in cap. 1. de Jurepat. ubi glossa dicit, quòd si Patroni discordant, possunt compelli, ut presentent alternis vicibus.*
- 2 *Cujus opinio innixa videtur in eo principio, quod nemo invitus cogitur stare in communione ad Text. in l. in re communi ff. de servit. Urban. praed. §. ultim. & in l. si non 2. §. si centum, ibiq. gloss. in verb. communionem ff. de condit. indebit. Alex. conf. 25. num. 6. lib. 5. Gomez. var. resol. tom 2. cap. 3. num. 14., & cap. 5. num. 6. Rot. decis. 50. num. 1. coram Buratt., & decis. 298. num. 9. par. 18. rec. Et in ea*

ratione, quia cum Patroni quando discordant in presentando, & scinduntur in partes aequales, tunc unus dicatur impedire alterum, quo minus liberè gaudeat fructu sui Juris presentandi, dum provisio in casu discordiarum inter Patronos, aut in casu paritatis votorum devolvitur ad Papam juxta *Text. in cap. Postulasti §. Ad quod breviter de concess. praebend. Card. de Luc. de benef. disc. 1. nu. 31. & disc. 28. nu. 16. Rot. decis. 702. par. 4. divers. justum, & rationabile est, ut ipsi cogantur à Superiore ad dividendum Jus presentandi per Turnum, & alternativam, dum nullum remedium ad eas sedandas, & evitandas aptius est, quam divisio, ut probat *Gonzal. in cap. si Episcopus num. 3. de Parochiis, & Urceol. consult. forens. 72. num. 8., & seq. Eodem modo, quo ubi duo usufructuarii invicem se impediunt, quo minus liberè usum fructum percipere valeant, Judex tenetur cogere eos ad divisionem alternis vicibus, & annis, cum sit iniquum alterum ex facto alterius in bonis communibus sentire incommodum, & privationem juxta *Text. in l. aequissimum ff. de usufructu, & in l. 7. §. cum de usufructu ff. com. divid. Tiraquell. de Primog. quest. 15. opin. 5. num. 1. Urceol. consult. forens. 72. nu. 19., & seqq. Gratian. discept. 552. num. 37.***

Neque est in jure novum, quòd divisio Juris quoad substantiam alioquin indivisibilis, coactivè ordinetur quoad exercitium à Superiore; hoc enim patet pluribus exemplis. Et primo in feudo, quod licet sit de sui natura indivisibile, illud tamen si à pluribus fratribus communiter in solidum possideatur, dividi potest, imò debet, si dicti fratres sint discordes, quoad exercitium, seu usum illius, & divisio fit à Judice non quidem quoad jurisdictionem, & dignitatem; sed quoad commoditatem Administrationis, & quoad exercitium ipsius Jurisdictionis, utendo scilicet ea alternis temporibus, indiviso manente feudo, ad tradita per *Abbatem in cap. final. versic. final. de re judicat. Bart. in l. inter Tutores num. 6. ff. de administrat. Tutor. Jason. in l. stipulationes non dividuntur num. 13. versic. tamen administratio ff. de verbor. obligat. Roland. conf. 9. nu. 32. lib. 2. Paris. conf. 69. nu. 13. lib. 2. Soccin jun. conf. 79. num. 6., & 7. lib.*

- lib. 1. Ramon. *conf.* 24. num. 29., & *seqq.* Alex. *conf.* 25. *per tot.*, & *signanter nu.* 7., & 11. lib. 5. Ruinus *conf.* 19. nu. 18. lib. 1., & Urceol. *consult.* for. 72. num. 23. Tyraquell. *de Primogen. quest.* 27. *opin.* 5. nu. 5. Curt. *jun. de feud. par.* 4. *quest.* 3. *limit.* 9., & Antonell. *de temp. legal. lib.* 2. *cap.* 105. num. 17. Pignattell. *consult.* 12. num. 62., 69., & *seqq.* tom. 5., & Boer. *decis.* 5. n. 2. Fontanell. *de pact. nuptial. clausul.* 4. *gloss.* 7. *par.* 2. nu. 18., ubi testatur id pluries fuisse iudicatum in Senatu Cataloniae Gratian. *discept. forens.* 552. num. 38. *discept.* 675. num. 6., & *seqq.* Perez. *de Lara de annivers.*, & Cappellan. lib. 1. *cap.* 17. num. 5., & 6., & Rot. *coram Cesare de Graff. dec.* 3. *per tot. de re iudicat.*
- 6 Secundò: In Jure tutelæ, quod licet sit indivisibile, ut habetur in *l. Tutor. 3. de administr. Tutor.*, illius tamen administratio, & exercitium Judicis officio dividi debet, si exoriantur discordiæ, etiam nonnullis Tutorum invitis juxta Theoricam Bartol. *in d. l. inter Tutores in fine ff. de administrat. Tutor.*, quam sequuntur Alex. *d. conf.* 25. num. 7. lib. 5. Roland. *conf.* 80. num. 37., & alii. *apud Urceol. consult.* 72. num. 24.
- 7 Tertiò: In terminis Electorum, qui in electione discordant, & persistunt in paritate votorum habemus punctualissimam *gloss. in Can. obeuntibus distinct.* 63. *in verb. nunc ergo queritur: Quæ* firmat Judicem eos cogere debere ad concordiam, cujus doctrinam refert, & sequitur Tyraquell. *de primogen. quest.* 17. *in princip. num.* 18.
- 8 Quartò: Si duo Parochi communiter possidentes domum sitam in confinio duarum Parochiarum discordant in simultanea administratione Sacramentorum, & aliorum jurium Parochialium, exercitium horum jurium est inter illos dividendum per alternativam, ut signanter docet *in cap. 1. de Paroch. Franch. n. 4. his verbis: Tale exercitium dividi alternis vicibus puta, quod uno anno recipiat ab uno Sacramenta, & Divina audiat, & alio anno ab alia & c. eodem modo dividi sepulturam familiae alternis vicibus* = Ancharan. num. 3., & latius Geminian. num. 3. *circa finem, Anania in cap. 1. de sepultur. num.* 14. *in fine, & iterum Ancharan in cap. cum quis num.* 3. *de sepult. in 6. Barbof. in d. cap. 1. num.* 5. *de Parochiis, Tyraquell. de Jur. primogen. quest.* 17. *opin.* 5. num. 7. Pignattell. *consult.* Canon. 12. num. 63. *versic.*, & *huc idem vergit tom.* 5. *Card. de Luc. de Paroch. disc.* 33. num. 4.
- 9 Quintò: Si una, eademque Ecclesia sit communis duobus Episcopis, & hi contendant inter se super simultanea exactio-  
ne charitativi subsidii ambobus simultaneè competentis, debet Metropolitanus eos compellere, ut dictum subsidium alternis vicibus exigant. Azor. *institut. moral. par.* 2. lib. 9. *cap.* 14. *litt. C. versic. Quid dicendum ibi* = Ambos Episcopos concordare debere, ut alternis vicibus subsidium exigant, quod si convenire renuant, tunc Jure poterit Archiepiscopus præcipere, ut conveniant = Barbof. *de potest. Episcop. par.* 3. *alleg.* 87. num. 53., & *de Jur. Eccles. univers. lib.* 3. *cap.* 121. num. 34. Bellincin. *de charitativ. subsid. quest.* 52. *per tot.*, Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 45. §. 1. nu. 29., & Ventrigliol. *in prax. par.* 2. *annot.* 25. §. 1. num. 29., & *de jurisdiction. Archiepiscop. cap.* 149. num. 6.
- 10 Sextò: In eodem casu Ecclesiæ duobus Episcopis communis, si isti non conveniunt in perceptione reddituum dictæ Ecclesiæ, Superioris officio compelli debent, ut alternis annis redditus percipiant juxta doctrinam *gloss. in cap. 1. de Paroch. in verb. deputetur. ibi* = Quod si non conveniant inter se alternis annis redditus percipiant = quam sequuntur ibi communiter Hostien. nu. 5. *versic. Ut alterius; Joann. Andr. nu.* 4., *Butr. nu.* 8., Zabarell. num. 4. *in fine, & magis punctualiter idem Butr. in cap. super eo de Paroch. nu.* 4. *ibi* = Ordinabit Archiepiscopus, quod Episcopi convicini alternis vicibus ea utantur, percipiendo redditus alternis annis, & comprobatur Tyraquell. *de primogenit. qu.* 17. *opin.* 5. num. 4.
- 11 Septimò: Si Fundator Ecclesiæ jussit dari sibi tamquam Patrono quot annis Candelam in festo Purificationis Beate Mariæ Virginis, & eo mortuo plures filii illius hæredes inter se contendant super habenda Candela, quæ ad omnes eorum pertinet tamquam Patronos insolidum, Judex debet ordinare, ut alternis annis per Turnum illam accipiant, ut fuit decisum in *Sacro Regio Consilio Neapolitano apud Vincen. de Franch. decis.* 85. nu. 1., & 4. *in fine, ibique Amendol. num.* 15., & Carol.

*Carol. Anton. de Luca ad prædictum de fraud. decis. 160. n. 58. versic. excitata fuit questio; Lara de Annivers. lib. 1. cap. 17. n. 6. Gratian. discept. 675. n. 7.*

12 Octavo denique in casu, quo una Ecclesia sita sit in confinio duarum Dioecesium, & sit de collatione simultanea duorum Episcoporum. Si enim illi duo Episcopi non conveniant in Regimine, & collatione Ecclesiæ, Metropolitanus eos cogere debet, ut alternis vicibus de Ecclesia disponant, juxta *Gloss. in can. licet in regulis 16. q. 3. ibi = Si discordant in Ecclesia dispositione, superioris erit officium in hac parte, ut alternis annis disponant = Innocen. in cap. super eo de Paroch. n. 2. ibiq. Zabarell. n. 7. Hostien. n. 7. Joan. Andr. num. 2. Abb. in cap. final. n. 5. de sent. & re judic.*

13 Contrariam tamen sententiam tenuerunt *Rocch. de Curt. de jurepat. verb. n. 11. in fin. Lambertin. eodem tract. lib. 1. quest. 2. art. 36. num. 9.* quam cenfeo veriorum, & magis conformem dispositioni hujus Canonis, Ilte enim concedit Patronis liberam facultatem præsentandi alternis vicibus, ibi: *Posse liberè convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando; Si igitur Paterni sive Laici, sive Ecclesiastici ex approbatione, & concessione Clementis V. liberè dividere debent jus præsentandi per turnum, & alternativam non video, quo jure dici possit, quod superior cogere valeat ad hanc divisionem juris præsentandi cæteros Patronos dissentientes ad instantiam aliquorum; ea maximè urgenti ratione, quod in re communi, uti est jus præsentandi communiter competens Patronis, melior sit conditio prohibentis ad *Text. in cap. 56. de reg. jur. in 6.**

Nec ratio evitandi discordias inter Patronos potest esse causa sufficiens coactivæ divisionis simultaneæ præsentationis. Quia in primis hujusmodi divisio simultaneæ non est tutum remedium dissipandi discordias Patronorum, dum experientia sæpe sæpius monstravit, quòd vel eadem, vel fortè majores insurgant amaritudines in ordine ad ipsam divisionem, sive conventam alternativam, quem admodum his eisdem verbis testatur *Rota in Wormatien. Canonicatus 14. Martii 1707. S. Adhuc coram R. P. D. Ansaldo; deinde in casu earundem discordiarum*

*Pars IV.*

inter Patrono, jam factis provisum fuit à jure canonico *in cap. 3. & in cap. cum auctem de jurepat.*, mediante videlicet devotione ad superiorem, & à lege præscripto, Judex convertere se non debet ad extraordinarium coactivæ divisionis juris præsentandi per Turnum. Et hanc sententiam secuti sunt *Vitalin. in hoc Canone, num. 4. & seqq. Spada conf. 8. n. 7. versic. nec obstat cum seqq. lib. 2. Marant. respons. 14. n. 53. tom. 3. & respons. 29. num. 24. & seqq. tom. 2.* Et amplexa est etiam S. Rota in *Hispalen. divisionis simultaneæ*, ubi responderetur auctoritatibus, & rationibus contrariis, uti legi potest in sequenti *decisione.*

15 Limitat tamen illam R. P. D. *Ansaldo*, nunc meritissimus S. Rotæ Decanus in *Annot. ad decis. 18. n. 18.* in casu quo simultaneæ pariat intolerabile præjudicium alteri ex compatronis, tunc enim, subdit compatronum reluctanter cogi posse ad ineundam divisionem.

16 Quæro hic. Si pendente lite inter Episcopum, & Patronum super qualitate beneficii, nimirum si Episcopus prætendat beneficium esse liberæ collationis, Patronus verò esse jurispatronatus; fiat concordia inter ipsos, qua statuatur, quòd Episcopus in una vacatione beneficii illud liberè conferat, in alia verò vacatione conferat illud ad præsentationem Patroni; an hujusmodi concordia sit confirmanda?

Respondeo *affirmativè* dummodo magis præponderent rationes, & jura Patroni, quam Episcopi; Ut fuit sensus Sacræ Congregationis Concilii in *Geneten. confirmationis concordia 18. Augusti 1703.* Ubi cum ad sedandas lites, & controversias exortas inter Episcopum prætendentem non nullarum Parochialium collationem prævio concursu ad se pleno jure spectare, & Comites de Coll' alto afferentes ad ipsos pertinere Juspatronatus, ac proindè Episcopum absque concursu, & prævio examine dumtaxat instituere, debere Parochos ab ipsis nominandos; iidem Episcopus, & Comites amicabiliter statuerint quòd imposterum inter ipsos servanda sit regula alternativæ, itaut dictæ Parochiales in successivis vacationibus una vice debeant esse liberæ

I col-



collationis Episcopi pro tempore, prae-  
vio concursu ad formam Sac. Concilii  
Tridentini, & absque ulla praesentatione,  
alia verò vice ad praesentationem dicto-  
rum Comitum sine concursu, reservato  
examine, & institutione ad favorem ejus-  
dem Episcopi; disputatum fuit: *An sit  
concedendum Beneplacitum Apostolicum su-  
per confirmatione concordiae, de qua agitur  
in casu &c.* Cui S. Congregatio respon-  
dit: *Affirmativè si Sanctissimo placuerit,  
salvis reservationibus, & affectionibus Apo-  
stolicis.*

R. P. D. P R I O L O .

Hispalen. Divisionis simultaneae

Veneris 4. Junii 1700.

**I**Nter plurima dubia speciali commissio-  
ne à Congregatione Particulari avo-  
cata, & iterum ad nostrum Tribunal re-  
missa inter Reverendissimum Archiepi-  
scopum, & Capitulum, hodie contigit ser-  
mo super divisione simultaneae collatio-  
nis Beneficiorum; & quamvis aliàs sub  
die 11. Februarii 1697. coram R.P.D. meo  
Muto dictum fuerit, & deinde per senten-  
tiam pronunciatum non esse locum divi-  
sioni, sequendo formam Commissionis  
dedi ex integro Dubium, *An esset locus di-  
visioni Simultaneae*, & DD. negativè re-  
sponderunt, quia talis divisio de jure im-  
probat, ut ex *cap. querimoniam de Jure-  
patr.*, & quamvis postea Clemens V. in  
*Clementina plures eod. tit.* benigniter in-  
dulgendo permiserit Patronis volentibus  
hanc facultatem dividendi; talis facultas  
non est trahenda usque ad coactionem,  
17 quia unus ex Compatronis, ceteris relu-  
ctantibus, dictam divisionem facere non  
potest, sed requiritur omnium consensus,  
& in hanc sententiam conveniunt com-  
muniter, DD. & praecipue *Lambert. de Jure-  
patr. lib. 1. quest. 2. princ. art. 36. num. 9.  
cum seqq. Bonifac. de Vitalin. in d. Clement.  
plures n. 4. & seqq. Berous in cap. 1 n. 77.  
de jurepatr. Spad. cons. 8. num. 7. vers. nec  
obstat cum seqq. Marant. resp. 14. num. 53.  
tom. 3. & resp. 29. num. 24. & seqq. tom. 2.  
Rocc. de Curt. de jurepatr. verb. jus n. 11.  
circa med.* Ac praeter auctoritates militat  
ratio; nam cum talis provisio sit extraor-

dinaria, & facultativa, requiritur consen-  
sus omnium interesse habentium, quia  
18 in re communi melior est conditio pro-  
hibentis ad *Text. in cap. 56. de reg. jur.  
in 6.*, & in praecisis terminis tradunt *Bo-  
nifac. de Vitalin. in d. Clement. plures n. 4.  
& seqq. & Zabarell. ibidem n. 1. vers. &  
ut facilius*, & generaliter in *Bononien. Ex-  
pensarum 14. Februarii 1698. §. Et fortius  
coram Me.* Quapropter cum talis divisio  
petatur solum ab Archiepiscopo, renuen-  
te Capitulo jure merito permitti nequit.

Et tantò magis in casu praesenti non est  
concedenda, quia usque de anno 1261. re-  
cuperata à Maurorum tyrannide, opera B.  
Ferdinandi Regis Catholici Civitate His-  
palen., & restituta ad pristinum suae Ca-  
thedralitatis Dignitatem Ecclesia, in ejus  
nova coordinatione Raymundus saltèm  
ad istum effectum primus Antistes de  
consilio, & consensu Capituli per funda-  
mentale Statutum, sicut tali etiam nomi-  
ne canonizatum fuit ab Urbano VIII. in  
suo speciali Brevi inter alia ordinavit,  
quòd collationes Canonicatum, por-  
tionum, & dimidiarum portionum simul-  
taneè fiant per Archiepiscopum, & Capi-  
tulum, ac pro sua inviolabili validitate,  
& observantia hoc Statutum habet prae-  
sidium confirmationis Apostolicae, obser-  
vantiam quatuor, & ultra seculorum, & re-  
petitum juramentum omnium Episcoporum  
quotquot à dicto Raymundo praefue-  
runt, nam ex eadem lege quilibet Ar-  
chiepiscopus in suo solemnè ingressu jure  
jur. teneretur promittere, & promittit il-  
lius observantiam, ut ex pluribus docu-  
mentis datis per Capitulum, inter quae le-  
gitur etiam illud praesentis Reverendissi-  
mi Archiepiscopi.

Et quamvis tale Statutum non prohibeat  
divisionem, maximam tamen illi facit re-  
sistentiam, & multò magis, ut Capitulum  
invitum illam acceptare debeat, quia &  
si nihil ultra, quam quod de jure est, im-  
portet, attamen cum simultanea adeò eni-  
xè praecipitur, & per tam longum tem-  
pus observata fuerit, saltèm pro meliori  
bono illius Ecclesiae accipienda venit, ne-  
que est ita de facili abroganda, & bene  
applicatur quod aliàs dixit *Rot. coram  
Ludovis. dec. 529. num. 13. 14. & coram  
sa. mem. Alex. VIII. dec. 115. num. 11.* quod  
Statutum, sive pactum juri communi adje-  
ctum

19 cum efficit, ut non liceat fieri, quod aliàs de jure sine pacto liceret, prout neque Sum. Pontifices similibus Statutis derogare solent, & in specie sa. me. Urbanus VIII. ad sedandas discordias inter Cardinalem Borgiam de eo tempore Archiepiscopum, & Capitulum, eo quia in collationibus intendebat uti privilegio per eundem Summum Pontificem Cardinalibus concessio, ut ex Reg. Cancell. de anno 1626. edita declaravit, prædictam Regulam Capitulum Hispalen. non comprehendere, ea ratione, quia Statuto in fundatione Ecclesiæ hujusmodi edito per regulam prædictam nullo modo censeri debet derogatum *Sum. Capituli n. 3. litt. D.* cui declarationi Cardinalis acquievit, & iterum per actum solemnem promisit Statuta Ecclesiæ servare, & hæc nova promissio fuit per alterum speciale Breve Urbani confirmata *Sum. capituli n. 4.* itaut vix dari potest, quod majus firmitatis robur habere videatur, quam præsens Statutum, & simultanea collatio.

Fateatur ista omnia validissima fundamenta Scribentes pro Archiepiscopo, sed illa declinare conantur, instando, quod ipsi non petunt divisionem materialem bonorum Ecclesiæ, seu Beneficiorum, quæ sunt individua, sed tantum exercitii, quod commodè dividi potest, non obstante Statuto, seu lege prohibente divisionem, ut communiter tenent DD. sequendo *Jas. in l. stipulationes non dividuntur num. 13. vers. tamen administratio ff. de verb. oblig.*, & in terminis jurispatronatus tradit *Card. de Luca de benef. disc. 1. num. 4. & de jure patr. disc. 41. n. 2. Pignatell. consult. 12. num. 65. tom. 5. Gonzal. ad reg. Cancell. gloss. 45. S. 1. n. 58. cum seqq.* attenda illa universali ratione, quod cum Societas sit mater discordiarum, ad illas evitandas divisio rationabilis videtur, quod rationabilitate præmissa, considerando hanc simultaneam collationem, uti quamdam communionem, & societatem Jurisdictionis, quia conferre Beneficia est effectus Jurisdictionis, ut ex *Gloss. in cap. novit. de offic. delegat. ubi Panormir. num. 3. & in cap. transmissa de elect. & cap. dilectus de offic. ordin. in verb. de lege Jurisdictionis ubi Fagnan. n. 3. Barbof. de potest. Episc. par. 1. tit. 1. cap. 1. num. 11. & Gonzal. ad reg. Cancell. S. 42. proæm. n. 27.*

Pars IV.

*Selva de Benef. quest. 40. n. 1.* magis urgebant arguendo, quod etiam socius cogi possit ad divisionem, allegando quamplures auctoritates, & primo, quod nemo cogi potest ad perseverandum in communionem, & secundo extendenda hanc coactivam etiam ad controversam simultaneam collationem ex *Gloss. in Can. obeuntibus dist. 63. in verb. nunc ergo quaritur, & ex cap. cum ab eo de sepult. in 6.* cujus occasione dicunt DD. quod si detur  
20 contentio inter duos Parochos communiter possidentes Domum sitam in confinio suorum Parochianorum, circa simultaneam administrationem jurium Parochialium, tale jus, quamvis per se individuum, tamen, quoad exercitium, quod sit dividendum inter eosdem per alternativam, ut signanter docent ibidem *Franch. num. 4. & Ancharan. num. 3. & latius Geminian. n. 7. circa finem, & Anan. in cap. 1. de sepult. n. 14. in fin. & idem Ancaran. in cap. 1. de sepult. in 6. Pignatell. consult. 12. num. 73. vers. & huc item vergit tom. 5. Card. de Luc. de Paroch. disc. 33. n. 4.* item exemplo duorum Episcoporum ambobus simultaneè competente exactione charitativi subsidii ab eadem Ecclesia dicunt DD. quod Metropolitanus eos compellere debet, ut dictum subsidium alternis vicibus exigant *Azor. instit. mor. par. 1. 2. lib. 9. cap. 14. litt. B. vers. quid dicendum, & Barbof. de potest. Episc. par. 3. alleg. 87. num. 53. & de jur. Eccl. univers. lib. 3. cap. 21. num. 34. Bellincin. de Charit. subsid. quest. 52. per tot. Gonzal. ad reg. Cancell. gloss. 45. S. 1. num. 29. Ventrigl. in prax. par. 2. adnot. 25. num. 29. & de jurisdict. Archiep. cap. 149. n. 6.* item de redditibus unius Ecclesiæ ad duos Episcopos spectantibus, quatenus non convenient, Superioris Officio compelli debent, ut alternis annis illos percipiant, juxta *Gloss. in d. c. 1. de Paroc. in vers. deputetur, ibique tradunt Hoslien. n. 5. vers. ut alternis, & Jo. Andr. n. 4. Butr. n. 8. Zabarell. n. 4. in fin. & magis præcisè idem Butr. in cap. super eo n. 4. eodem tit. de Paroch. & Tiracquell. de primog. quest. 17. opin. 5. n. 4.* Et demùm in casu præciso simultaneæ collationis ponderarunt *Gloss. in Can. licet in reg. 16. q. 3. in verb. convenit* in qua supposito casu unius Ecclesiæ sitæ in Confinio duarum Diocesium, cujus dispositio,

I 2

feu

seu collatio erat communis inter duos Episcopos convicinos, dicitur, quod si discordent in dispositione, superioris erit officium in hac parte, ut alternis annis disponant, quam *glos.* sequuti sunt multi *DD.*, & signanter *Innoc. in cap. super eo de Paroch. n.4. ibique Hoskien. n.7. & Joan. Andr. num.2. & Zabarell. num.7. & Abb. in cap. fin. num.5. de sent. & re judic. Alex. conf. 25. n.3. vers. nam glosa lib.5. Bellincin. de charit. subsid. q.52. n.3. Tiracquell. de primog. d. quest. 17. opin. 5. num.3. Vivian. de jurepat. lib.3. cap.7. n.6. & 10., & auctoritatem superioris Lambert. de jurepatr. lib.2. par.2. q.4. art.6. n.2. extendit etiam usque ad coactionem, & cum eo concordant *Ventrig. de jurisd. Archiep. cap. 149. n.6. & in prax. for. par.2. adnot. 25. num.29. Antonell. de jur. & oner. Cler. lib.2. par.6. cap.17. n.60. & Gonzal. ad Regul. Cancell. glos. 45. §.1. n.57. & seqq., quem refert, & sequitur Lezzan. in Turr. David. cap.5. n.298.**

Verum reassumendo à principio objectum, etsi collatio beneficiorum simultanea dicatur quaedam communio, seu societas, non est tamen simplicis jurisdictionis, quia jus conferendi non semper à sola jurisdictione procedit, sed ab aliis etiam titulis, ut observat *Garz. de benef. par.5. cap.4. num.1. Gonzal. ad Regul. Cancell. glos. 21. num.34. Rot. in rec. dec.92. d. n.8. par.5. & in Leodien. jurisdict. 11. Aprilis 1698. §. Pariter non obstant, coram Reverendiss. D. meo Decano, & propterea quamvis simultanea dicatur societas, non dependet absolutè ab arbitrio sociorum, & ita pro illius dissolutione sufficiat dissentus unius, sed dicitur societas de jure, vel Statuto, sive Episcopus, & Capitulum constituent unum corpus mysticum, sive considerentur uti inservientes Ecclesiae, vel administratores jurium illius, sive Beneficia dicantur erecta ex bonis communibus. Quapropter inapplicabiles sunt termini simplicis Societatis, & ita corrumpunt pro majori parte auctoritates ex adversò allegatae, uti tractantes, sive de communionem bonorum, sive de sociis feudilibus, sive de usufructuariis, quia in istis permitti potest divisio bonorum, vel exercitii rei etiam indivisibilis, in praesenti autem procedendum est cum terminis illarum societatum à jure, vel Statuto*

introductarum, quae respiciunt non simpliciter Sociorum commodum, sed principaliter publicam utilitatem, nempe Universitatis, vel Ecclesiae, quod faciat, ut inter Episcopum, & Capitulum major sit conjunctio, quam inter socios cujuscunque alterius jurisdictionis, ut notant *Perring. in nov. meth. jur. Canon. ad tit. de off. ordin. n.52. versic. notandum secundò, & Card. de Luc. de benef. disc. 28. num.18. & seqq., & ideo nonnisi ex justa causa, & cum omnium consensu, ac superioris auctoritate dari potest divisio etiam quoad exercitium, ut distinguendo firmat *Abb. conf. 82. sub num.10. vers. ego tamen lib.1. quem sequuntur Felin. in cap. qua in Ecclesia n.91. vers. 2. limitat de constit. & in cap. prudentiam col.2. vers. & quod liceat de offic. de legat. Afflic. in cap.1. §. Praeterea tit. quibus mod. feud. amit. Marfil. singul.9. Corradin. conf. 62. col.2. vers. 2. licet aliàs actum esset de communitatibus, & similibus si omnia ad singularitatem ex voluntate unius reduci possent.**

Nec dubitari potest, quin provisio beneficiorum per simultaneam collationem facta respiciat magis utilitatem Ecclesiae, quam privatam collatorum, & sit illi magis proficua, quam turnaria, quia cum in simultanea tanta sit vox Episcopi, quanta totius Capituli, & quamvis Praelatus nominet eum, cui beneficium conferre intendit; conclusio, seu perfectio collationis dependet à Capitulo, supponendum est, quod Episcopus, qui tenetur suam collationem subjicere approbationi Capituli, meliorem semper proponat, & viceversa credibile non est, Capitulum velle aptum, & idoneum rejicere, quando à tali rejectione nullum sentiret commodum, quia collatio ob paritatem votorum devolvitur ad S. Sedem ex notis juribus, & talis modus conferendi specialiter introductus est in Cathedralibus, ut meliores earumque servitio magis aptos, & idoneos Praebendatos fortiantur, quia sicut Ecclesia Cathedralis caeteris praeminet dignitate, ita illius Canonici, & Portionarii aliis praestare debent virtute, & exemplo; In turnaria autem provisione cum ista dependeat ab arbitrio unius tantum, facilius intrat affectio, & minus consideratur utilitas Ecclesiae, nam quandoque propter affectionem

nem

nem nominantur personæ minùs aptæ ser-  
vitio Ecclesiæ, & nè talis divisio fiat, mul-  
tum facit exemplum memorabile relatam  
per *Hofiens. in cap. grave n. 3. de præbend.*  
de nonnullis Canonicis Argentinis, qui  
inter se convenerant super divisione si-  
multaneâ, eumque allegando comprobat  
post *Gonzal. ad reg. Cancell. glos. 4. n. 73.*  
*Franc. de Eccles. Cathedr. cap. 22. n. 106.*,  
quo edocti Episcopi, & Canonici nun-  
quam desiderare deberent hanc divisio-  
nem, nè aliquando eorum causa idem  
evenire posset in præjudicium propriæ  
Ecclesiæ.

Sed præter utilitatem Ecclesiæ concur-  
rit etiam alia particularis ratio, nam cum  
Episcopus, & Capitulum continuò in Di-  
vinis Officiis convenire soleant, in tali  
mystico corpore non est introducendus  
aliquis Canonicus qui sit, uni, vel al-  
teri infensus, vel invisus, ut omnia mem-  
bra perfecta organizatione inter se cor-  
respondent, & in servitio Ecclesiæ prom-  
ptè suam operam præbeant. Et quia hæc  
omnia securius adimplentur per simulta-  
neam collationem, ab ista non est de facili  
recedendum.

Deinde deveniendo ad examen illarum  
auctoritatum, quæ aliquam saltèm appa-  
rentem relationem habent cum casu præ-  
senti, primo ponendi sunt ad partes illi  
23 DD. qui tantum dicunt, quod tale exerci-  
tium collationis simultaneæ dividi potest,  
quia hoc usque à principio admissum fuit  
ex *Clem. plures de Jurepat.*, & tantum impu-  
gnatur coactiva divisio ad quam proban-  
dum neque satis sunt auctoritates, &  
exempla deducta ex *d. Can. obeuntibus*  
*dist. 63. in verb. nunc ergo quaritur*, & ex  
*d. cap. cum ab eo de Sepult. in 6.*, & demum  
ex *gloss. in alio Can. licet in regul. 16. qu. 3.*  
omnia enim hæc valde diversa sunt à casu  
simultaneæ collationis, & ratio quoque  
decidendi in nihilo convenit; motivum  
enim dubitandi, tam apud Glossatores,  
quàm apud DD. fuit, quod non minùs  
Episcopi, quàm Parochi habebant Jus  
certum, & separatum exercendi propria  
Juris in Ecclesia, vel domo sita in confi-  
nio, seu exigendi charitativum subsidium,  
& redditus, & tantum contentiones, &  
scandala in exercitio oriebantur, quia,  
vel administratio Sacramentorum poterat  
negligi, vel duplici onere in exigendo

gravari Ecclesia, vel Populus; neque ista  
ullum aliud remedium habere poterant,  
quam per diffinitivam Judicis sententiam,  
quæ non solum longum tempus require-  
bat, sed etiam incertitudinem exitus in-  
volvebat ob incertitudinem probatio-  
num, & ideo rectè provisum fuit quod  
per alternativam ex Jure exercerentur, &  
exactiones fierent. At in casu nostro jus  
conferendi usque à principio simultaneæ  
utrique Parti traditum fuit, & semper ita  
practicatum, & propterea cessante simi-  
litudine causæ dubitandi, cessat etiam  
ratio ita decidendi, & quando adest re-  
medium à Jure præscriptum, ut infra in-  
specie de simultanea collatione demon-  
strabitur, non est recurrendum ad extra-  
ordinarium, & arbitrarium.

24 *Gonzal. ad reg. 8. glos. 45. §. 1. num. 57.*  
& *seqq.* loquitur præcisè in casu simulta-  
neâ, sed tantum promovet quæstionem;  
An ista dividi possit, & in affirmativam  
inclinat, juxta communem opinionem,  
sed non firmat, quod renuente una parte  
per alteram, seu per Judicem illa cogi  
possit ad divisionem, & quamvis in codi-  
cibus ultimæ impressionis legantur illa  
verba *Imò ad hoc compelli possunt* nullum  
in eis fieri potest fundamentum, quia illa  
apposita sunt referendo opinionem illo-  
rum DD., qui in casu supra allegato cha-  
ritativi subsidii tenent, Episcopos super  
exactione litigantes compelli posse ad  
concordiam, & ideo neque dici potest  
ista opinio Auctoris, neque est applica-  
bilis præsenti disputationi simultaneæ di-  
visionis, ac in eodem sensu sunt *Card. de*  
*Luca*, & alii abunde citati, qui non fa-  
ciunt ad causam.

Agnoscentes Defensores Archiepisco-  
pi, quod nullum habent Doctorem neque  
judicatum, quod in casu simultaneæ colla-  
tionis dicat esse locum coactivæ divisoni,  
se convertunt ad debilitandas auctorita-  
tes, tam in præcedenti decisione R. P. D.  
mei Muti, quàm in præsenti laudatas, as-  
serendo; quod allegata *Clementina Plures*  
procedit tantum in casu Patronorum Lai-  
corum, cum quibus Ecclesiæ mitius pro-  
cedit, nè retrahantur à foundationibus, &  
dotationibus beneficiorum, & quia isti  
cogi non possunt ad concordandum, ideo  
ad tollendas discordias, ut facilius Ec-  
clesiæ provideantur, sicut etiam ex *gloss. in*  
*d. Can.*

*d. Can. licet* permittit eisdem divisionem; Et quando ista non sufficiant, alia succedunt graviora remedia, *ut in cap. 2., & 3. de Jurepat.* At in Patronis Ecclesiasticis, in quibus non militat eadem ratio foundationis, & dotationis, & subjacent omnino ordinationibus Ordinarii, superflua est facultativa divisio concessa *in dicta Clementina Plures*, quia ad istam cogi possunt iterum præcedendo cum supposita auctoritate *alleg. Can. obeuntibus dist. 63., & hanc distinctionem comprobant auctoritate Lamb. in lib. 2. part. 2. quæst. 4. art. 6. nu. 4., & in eadem quæst. 4. sequentis art. 7. nu. 2. in fin., & prætendunt, quod præcedentem suam opinionem limitet, & declaret etiam Felin. in cap. prudentiam de offic., & potest. Jud. deleg. num. 5., & in cap. qua in Ecclesiarum de constitut. nu. 90.*

26 Sed talis prætenfa distinctio habet resistantiam facti, nam passim etiam Patroni Ecclesiastici dividunt inter se exercitium Juris præsentandi, & conferendi, sicut, & pro obtinenda tali divisione allegatum fuit exemplum plurium Ecclesiarum Cathedralium Hispaniæ, ac Patriarchalium hic in Urbe, & contra eosdem militat pariter alterum remedium devolutionis, & propterea talis coactio insinuata per DD. ad alios effectus est referibilis, nempe vel ad concordiam, quæ intelligi debet pro illa vice tantum, ut ex *d. glos. in Can. obeuntibus*, vel ad casus longè diversos à divisione simultaneæ, prout quoque *Lamber. loc. cit.* loquitur in diversis terminis, ut colligitur ex quæstione, quæ principaliter examinatur *in d. art. 6.* ad quàm omnia alia ibidem contenta referri debent, neque ita de facili dicendum est, quod aliquis Doctor, & præcipuè iste in hac materia aded insignis se contradicat, vel corrigat, quando idem Doctor hoc non dicit. Nec majus pondus meretur dictum *Felini* quia nec materiam Jurispatronatus, seu simultaneæ collationis examinat, & tantum ad casum divisionis Jurisdictionis dicit, quod etiam Parroni compelli possunt *alleg. text. in d. Clement. Plures*, qui pariter, ut supra demonstratum fuit, ad rem nostram non facit ultra quod etiam tanquam loquens contra communem, reprobat, à *Rocco de Curt., & Lamberti.*, & observat *dec. coram R. P. D. mei Muti, S. Et minus*, & solum quoad divi-

sionem Jurisdictionis fuit approbatus à *Rota coram Achill. de Grass. dec. 3. de sent., & re judic.*

Minus attendi debet, quod si allegati casus non conveniunt in similitudine dubitandi, habent tamen causam generalem, nempe motivum tollendi discordias, & procurandi utilitatem Ecclesiæ, quia quamvis dicatur, hæc simultanea collatio à principio laudabilis, & juri communi conformis, tamen præterditur, quod tractu temporis, degeneraverit in abusum, & quod evaserit catena, & frenum Episcoporum, eo quia Prælati, ut possent habere pacificam collationem beneficiorum, cœperint claudere oculos, & indefensa relinquere Jura propriæ dignitatis cum reliquis contra laudabilem stylum Curia per Defensores Archiepiscopi suppositis, quæ prorsus fuerunt valde dissona auribus nostri Tribunalis, in quo solent tantum virtute, & ingenio jura partium defendi, & impugnari, & maxime quando supposita non solum sunt injuriosa Capitulo, & ipsemet Archiepiscopo, & omnibus aliis ejus prædecessoribus, verum etiam in facto omnino insubstantia. Quis enim credere potest, quod omnes Præsules, qui in adeo insigni Ecclesia præfuerunt pietate, & doctrina venerabiles in collationibus beneficiorum, non ad utilitatem Ecclesiæ, & merita providendorum prospexerint, sed potius ut suis gratificare possent, curaverint sibi Capitulum benevolam reddere cum præjudicio propriæ Dignitatis, & Jurisdictionis, quodque Canonici odio potius, & vindicta, quam Justitia moti sint ad denegandum consensum, quod de Jure in adeo insigni, & religioso Capitulo sublata quacunque umbra æmulationis potius præsumi deberet justa, & rationabilis causa denegati consensus *per text. in l. sabinus ff. comm. divid. Vegg. conf. 88. num. 23. circa fin. Felin. de societate. cap. 28. num. 21. cum seqq. Rot. decis. 450. coram Dunozett., & in rec. decis. 113. nu. 7. par. 19.*

Sed non minus incredibile, quam insubstantia est partis assumptum, nam ab anno 1261., à quo seculo secundum initium habuit hæc Metropolitana Ecclesia, ut supra dictum est, de facili quisquis præfigurare sibi potest quot Archiepiscopi ad illam ordinati fuerint usque in præsens,  
& ta-

& tamen tantum inter tres dantur discordiæ, & lites nempe inter Cardinalem de Castro de anno 1584., Cardinal. Borgiam de anno 1633., & modernum Archiepiscopum, quo verò ad collationes per Capitulum datus fuit *in Summ.* longissimus Catalogus istarum complectens spatium 150. annorum, in quo videntur quod, duabus exceptis, reliquæ omnes concorditer factæ sunt, & suum effectum habuerunt, & quod observatione dignum est inter istas quamplures sunt de tempore, quo lites ardebant inter Cardinales de Castro, Borgiam, & Capitulum, sicut ex septem vacationibus, quæ obvenerunt, tres fuerunt concorditer factæ, quæ cum impugnari non possint, contra charitatem interpretantur, nè factæ à Canonicis, Judicibus apparent semper dissentientes, vel ad complacendum Ministris in Urbe residentibus, quia gratis hoc dicitur, & sine ulla justificatione, quando talis dissensus non solum permissus est à jure, sed etiam commendatur, quia ita diligentiori examine non minus, quoad utilitatem Ecclesiæ, quàm quoad qualitates concurrentium beneficia conferuntur aliàs inutilis fuisset introductio simultaneæ in Cathedralibus Ecclesiis si Canonici clausis oculis, consentire deberent, & consensus esset solum pro forma, ut optimè scripsit S. Leo ad Anastasium relatus *in Can. si forte 26. distin. 63. ibique Gloss. in v. diviserint, & S. Gregorius in Can. nec novum 7. quest. 1.*

Et tantò minus istæ suppositæ discordiæ, quatenus aessent, justam causam præbere possunt abrogandi hanc simultaneam collationem, quia Summi Pontifices illas considerando aliud remedium, nempe devolutionis præscripserunt, ut videre est *in cap. 2. de concess. præbend.* & quando habetur remedium ordinarium, & à lege præscriptum, Judex non debet se convertere ad extraordinarium, quia si Summi Pontifices voluissent permittere alternativam, hoc utique fecissent, sed utiliùs duxerunt imponere pœnam devolutionis, & summa quidem ratione, nam devolutio est verè remedium, quoniam pro illa vice tantum, vel tollit discordias inter Episcopum, & Capitulum, vel inter patitatem meritorum confertur Beneficium illi, quem utilitas Ec-

clesiæ, vel aliqua alia circumstantia magis dignum considerare facit. Alternativa verò non est remedium, sed destruit simultaneam quod nunquam admitti potest à Judice, qui est quidem interpres, sed tamen debet esse Custos legum, ut relatis *Rocco de Curte, & Lambert.,* comprobatur *dec. R.P.D. mei Musi S. Præterea auctoritates.*

Et hanc veritatem agnoverunt quoque scribentes pro Archiepiscopo, quia in responsionibus se restrinxerunt ad petendam hanc alternativam, durantibus litibus tantum, sed neque in hoc exaudiri potuerunt, quia si neque discordiæ ex eadem collatione derivantes justam Causam dissolvendi simultaneam præbent, quomodo concedi poterit ex aliis controversiis à diversis Causis, nempe jurisdictionis, & similium emanantibus, nam pro denegatione dissolutionis in omnibus casibus semper militat illa præcipua ratio, quod utilitas publica ipsius Ecclesiæ prævalere debet commodo, & utilitati privatæ ipsorum conferentium *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 21. n. 33. Frances. de Eccl. Cathedr. cap. 22. n. 16.*

Prout neque exempla aliarum Ecclesiarum ad hoc faciendum inducere possunt, quia cum de illorum principio, seu Causa non constet, dicendum est, quod intervenerit consensus utriusque Partis, justa Causa, & auctoritas superioris, quia semper quod factum est supponitur factum prout de jure est faciendum.

Nec Capitulum resistit huic divisioni ex solo motivo se opponendi petitioni Archiepiscopi, quando aliàs eidem est valde favorabilis, quia in collatione simultanea Capitulum præstat solum simplicem consensum, in alternativa autem haberet in sua vacatione liberam collationem, Capitulum enim materiali commodo præferre vult vel utilitatem Ecclesiæ, vel proprium honorificum Jus, cum valde eidem decorum sit allegare illud speciale Breve obtentum sub Urbano VIII. supra allegatum, & quamvis ex divisione exercitii non tollatur simultanea, quia collationes fiunt utriusque nomine, ut probatur *Card. de Luca de benef. disc. 29. num. 19.* attamen cum indultum specialiter se fundet in statuto Ecclesiæ præcipiente simultaneam collationem, valde disputabile esset;

set; si cessante causa Capitulum amisisset Jus illud; propter quam illi concessum fuit, & sola possibilitas sufficit ad coonestandum dissentium Capituli, ultra quod non esset etiam condemnandum Capitulum, si dissentiret à tali divisione ex solo motivo, ut sibi conservaret benevolos Archiepiscopos sub hac spe facilius obtinendi consensum ab eisdem nominatis tùm hoc tendat ad conservandam concordiam, non autem ad destructionem Ecclesiæ, & Dignitatis Archiepiscopalis, quia in dubio semper est facienda benigna interpretatio.

Et demum, præter hæc omnia esset valde considerabile interesse Summorum Pontificum, quibus præjudicari non potest, nam admittendo alternativam cessarent omnes devolutiones ob discordiam, seu paritatem votorum in corpore Juris reservatæ, & si ex hoc solo motivo *Rota cor. Millin. dec. 179.* non approbavit concordiam initam inter Episcopum, & Canonicos, quanto minùs potest hodie approbare divisionem simultanæ resistente Capitulo contra omnia juris principia.

Et quia hoc motivum responsionem non habet, ad illud evitandum scribentes pro Archiepiscopo immemores, quod in principio restrictus facti, & Juris dixerunt quod de tempore illorum Prælatorum, qui Jura hæc Dignitatis tueri voluerunt omnia Beneficia fuerunt collata per S. Sedem Jure devoluto, itaut nullam pacificam collationem sperare potuerint, in fine admiserunt, quòd tales devolutiones rarissimè eveniunt, ac proinde allegatum præjudicium Summorum Pontificum non esse considerabile. Quapropter pro coronide concludendum est, vel tales discordiæ rarissimas devolutiones produxerunt, prout de facto usque nunc apparet, & justam causam non possunt præbere cogendi Capitulum ad præstandum consensum pro petita divisione, vel illam ordinandi per Judicem, etiam ipso Capitulo renuente, vel devolutiones frequentes sunt, & præjudicium Summorum Pontificum erit valde considerabile, & nunquam per Judicem permittendum.

Et ita, utraque Patre audita, responsum fuit &c.

